2

DELLA RETORICA TOMO QVINTO DE PROGINASMI, OVERO ESERCITII PRIMI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOMI, ET ORDINE

DELLE

COSE CONTENVTE

NEL TOMO QVINTO.

1 APHTHONII SOPHISTAE PROGYMNASMATA.
2 M. FABII QVINTILIANI DE PRIMIS APVD RHETOREM EXERCITATIONIBVS.
3 THEONIS SOPHISTAE PROGYMNASMATA.
4 PRISCIANI GRAMMATICI CAESARIENSIS de PRAEEXERCITAMENTIS RHETORICAE ex HERMOGENE Liber.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

APHTHONII SOPHISTÆ

PROGYMNASMATA.

PARTIM A' RODOLPHO AGRICOLA, Partim à Ioanne Maria Catanæo latinitate donata.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

APHTHONII DECLAMATORIS PRAEEXERCITAMENTA.

FABVLA QVÆ GRÆCE ΜΥΘΟΣ:-

FAbula traxit à Poetis originem, qua Rhetores etiam communiter vtuntur, quòd admonitionibus ſit idonea, & erudiendis imperitioribus apta. Eſt autem Fabula, ſermo falſus, veritatem effingens.

Varias ſortitur appellationes. Nam modò Sybaritica, modò Cilix, modò Cypria dicitur, receptis pro Inuentorum varietate nominibus. Obtinuit tamen, ac euicit, vt potius Aeſopica vocaretur, quòd Aeſopus omnium optimè fabulas conſcripſerit.

Sunt autem fabularum aliæ rationales, aliæ morales, aliæ mixtæ. Rationales ſunt, quibus fingimus hominem aliquid facere. Morales, quæ rationecarentium morem imitantur. Mixtæ, in quibus vtrunq; rationale, & irrationale iunguntur. Quòd ſi admonitionem, cuius cauſſa fabula inuenta eſt, præpoſueris, προμύθιον, id eſt, vt ita dixerim, Præfabulare; Si verò poſtpoſueris, ἐπιμύθιον, hoc eſt, Adfabullationem appellabis.

EXEMPLVM.

Fabula Formicarum & Cicadarum, Iuniores ad laborem adhortans:-

FLagrans æſtatis erat feruor; cùm Cicadæ continuis indulgebant cantilenis, lætoq; inter arbuſta ſtrepebant carmine. At Formicæ laboribus intentæ, victum quærebant, colligebantque fructus, quibus hyberno tempore veſcerentur. Ingruente igitur hyeme, partis Formicæ nutriebantur. Sed inertibus

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Cicadis oblectans illa voluptas ceſſit in inopiam, atque famem. Sic, qui laborem in iuuenta ſubterfugiunt, in ſenecta tabeſcunt egeſtate.

Virtutes eius quatuor.
- Claritas ſeu perſpicuitas.
- Breuitas.
- Probabilitas, quæ πιθανότης dicitur.
- Electorum verborum proprietas.

NARRATIO.

ΔΙΗ'ΓΗΜΑ.

NArratio eſt expoſitio rei factæ, vel tanquam factæ. Diuiditur autem in poeticam, hiſtoricam, & ciuilem. Poetica eſt, quæ habet expoſitionem fictam. Hiſtorica, quæ vetuſtam rerum commemorationem cōtinet, atque veterum geſta narrat. Ciuilis, qua in controuerſijs oratores vtuntur.

Narrationi accidunt ſex.
- Perſona faciens,
- Res geſta,
- Tempus, circa quod,
- Locus, in quo tranſacta,
- Modus, quo pacto,
- Cauſa, propter quam.

Exemplum Narrationis ab Angelo Politiano tranſlatum.

QVi roſæ pulchritudinem demiratur, plagam Veneris conſideret, Amabat Adonin dea: Mars ipſam. Quodque dea foret Adonidi, Veneri Mars erat. Deus Deam adamabat, Deaq; hominem ſequebatur. Par cupido, tametſi genus diſpar. Perimere Adonin Mars zelotypus tendebat, finem putans amoris Adonidis necem. Ferit Adonin Mars. Accurrit auxilio Venus, feſtinans in roſas incidit, ac ſe ſpinis implicuit, plantamque pedis perſtrinxit. Qui vulnere manarat cruor de ſe roſam colorauit. ſic roſa, quæ prius candida, rubrum in colorem, qui nunc cernitur, eſt conuerſa.

CHRIA.

ΧΡΕΙ'Α.

CHria eſt commemoratio breuis, alicuius perſonæ factum, vel dictum aptè referens. Dicta autem eſt quòd ſit vtilis. Et Chriarum aliæ verbales,

ſunt,

ſunt, aliæ actiuæ, aliæ mixtæ. Verbales ſunt, quæ vtilitatem oratione demonſtrant, Vt, Plato dixit, virtutis ramos è laboribus atque ſudoribus produci. Actiuæ ſunt, quæ actionem aut factum ſolum recenſent, vt, Pythagoras interrogatus, quanta nam eſſet hominum vita, cùm per temporis breuius ſpatium ſe conſpiciendum exhibuiſſet, latebras petijt, humanæ vitæ menſuram ex momentaneo conſpectu deſignans. Mixtæ, quæ ex vtriſque conflatæ ſunt, oratione & actione, vt, Diogenes cùm vidiſſet adoleſcentulum laſciuientem ac indecorè ſe gerentem, pædagogum illius baculo percuſſit, ſuperaddens Quid talia doces, aut ſic inſtruis? Chriam verò conficies hiſce capitibus, atque tractabis à

Laudatiuo,	Parabola,
Paraphraſtico,	Exemplo,
Cauſa,	Teſtimonio veterum,
Contrario,	Breui Epilogo.

EXEMPLVM VERBALIS CHRIAE.

Argumentum.

ISocrates doctrinæ radicem amaram eſſe dicebat, fructus verò dulces.

ΕΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΟΝ.
A laudabili.

MERITO Laudandus eſt Iſocrates, propter eximiam dicendi facultatem, qua ſibi nomen clariſſimum comparauit, & quanta vis eloquentiæ eſſet, ipſam exercendo demonſtrauit, eamq; illuſtrem fecit, non ipſe ab illa illuſtratus. Quibus autem vel Reges admonens, vel inſtituens priuatos bene de hominum vita meruit, longum eſſet recenſere. verùm quod de eruditione protulit, haud ab re fuerit commemorare.

ΠΑΡΑΦΡΑΣΤΙΚΟΝ.
Expoſitio.

Amator, inquit, eruditionis, à laboribus auſpicatur, ſed laboribus deſinentibus in vtilitatem, quod quam philoſophicè dictum ab eo ſit, hinc licet perſpicere.

ΤΟ ΤΗΣ ΑΙΤΙΑΣ.

A causa.

Qui enim bonarum artium amore capiuntur, hi ſanè cum profeſſoribus, ac ducibus ſtudiorum conuerſantur, ad quos accedere, vt formidoloſum eſt, ita relinquere ſtultiſſimum. Et pueri quidem nunquam metu vacant, & cùm adſunt præceptores, & cùm venturos expectant. Succedunt præceptoribus pædagogi, viſu terribiles, ſed cùm verberibus ſæuiunt formidabiliores. Qui etiam priuſquam verberent timentur. Metum punitio ſubſequitur, dùm omnia puerorum errata vindicantur, & rectè facta, opera virtutis, tanquam ad ea nati ſint, exactiſſimè requiruntur. Iam verò pædagogis ipſis ſunt moleſtiores aſperiorèsq; patres in deambulationes, atq; vias inquirentes, & vetantes in publicum egredi, forum ipſum habentes ſuſpectum. Quod ſi opus fuerit in filios animaduertere, ita excandeſcunt, vt naturæ obliuiſcantur, nec ſe parentes eſſe meminerint, verùm huiuſmodi rebus exercitatus puer, cùm in virum euaſeſit, merita coronatur virtute.

ΕΚ ΤΟΥ ΕΝΑΝΤΙΟΥ.

A contrario.

At qui veritus iſta, fugerit magiſtros, deuitarit parentes, & pædagogos fuerit aduerſatus, prorſum eruditionis expers, ſcientia priuabitur. Nam metum declinans, ſimul cum ipſo doctrinam relinquet. Hæc igitur omnia Iſocratem ſentire perſuaſerunt, Eruditionis radicem amaram eſſe.

ΠΑΡΑΒΟΛΗ.

A ſimili.

Nam quemadmodum agricolæ ſummo cum labore terræ ſemina mandant, fructus verò maiore cum voluptate colligunt; ita qui ad ſtudia accinguntur, ſibi laboris multi comitem gloriam comparant.

ΠΑΡΑΔΕΙΓΜΑ.

Ab exemplo.

Reſpice Demoſthenis vitam, qui vt oratorum omnium laborioſiſſimus, ita clariſſimus euaſit, qui fuit adeò ſtudijs intentus, vt comam natiuum capitis ornamentum, exeundi poteſtatem ſibi præripiendo, detonderet, ratus id

pulcher-

pulcherrimum decus, quod à virtute prouenisſet. Quæ igitur alij profundunt ad voluptates, ille continuis lucubrationibus impendit.

ΜΑΡΤΥΡΙΑ ΠΑΛΑΙΩΝ.

A' teſtimonio veterum.

Id circò præclarè hoc (vt omnia) Heſiodus ait, Aſperam eſſe ad virtutem viam, cacumen verò molle. Nã idem quod Iſocrates, protulit. Heſiodus enim viam, Iſocrates autem radicem appellauit, diuerſis verbis eandem vterq; ſententiam demonſtrantes.

ΕΠΙΛΟΓΟΣ.

Quæ ſi rectè conſiderabimus, meritis laudibus eucheמus Iſocratem, vt qui ſapienter de eruditione conſcripſerit optima.

SENTENTIA.

ΓΝΩΜΗ.

Sententia, eſt oratio, breui complexu aliquid, quod ad hortandum, dehortandumve pertinet, explicans. Sententiarum verò alia exhortans, alia dehortans, alia enuntians. Eſt item alia ſimplex, alia compoſita: prætereà alia probabilis eſt, alia vera, ſuperlata alia.

EXORTANS SENTENTIA EST, VT:

Oportet amicum præſentem amare, volentem verò amittere.

DEHORTANS, VT:

Turpe quiete Ducem totas deperdere noctes.

ENVNTIANS, VT:

Pecunijs opus eſt, ſine quibus nihil eorum, quæ neceſſaria ſunt, rectè fient.

SIMPLEX, VT:

Optimum id augurium eſt, patriam tutariet armis.

COM-

ΤΟ͂ ΤΗ͂Σ ΑἸΤΙ΄ΑΣ.

A cauſa.

Qui enim bonarum artium amore capiuntur, hi ſanè cum profeſſoribus, ac ducibus ſtudiorum conuerſantur, ad quos accedere, vt formidoloſum eſt, ita relinquere ſtultiſſimum. Et pueri quidem nunquam metu vacant, & cùm adſunt præceptores, & cùm ventuos expectant. Succedunt præceptoribus pædagogi, viſu terribiles, ſed cùm verberibus ſæuiunt formidabiliores. Qui etiam priuſquam verberent timentur. Metum punitio ſubſequitur, dùm omnia puerorum errata vindicantur, & rectè facta, opera virtutis, tanquam ad ea nati ſint, exactiſſimè requiruntur. Iam verò pædagogis ipſis ſunt moleſtiores aſperiorèsq; patres in deambulationes, atq; vias inquirentes, & vetantes in publicum egredi, forum ipſum habentes ſuſpectum. Quod ſi opus fuerit in filios animaduertere, ita excandeſcunt, vt naturæ obliuiſcantur, nec ſe parentes eſſe meminerint, verùm huiuſmodi rebus exercitatus puer, cùm in virum euaſerit, merita coronatur virtute.

ἘΚ ΤΟΥ͂ ἘΝΑΝΤΊΟΥ.

A contrario.

At qui veritus iſta, fugerit magiſtros, deuitarit parentes, & pædagogos fuerit aduerſatus, prorſum eruditionis expers, ſcientia priuabitur. Nam metum declinans, ſimul cum ipſo doctrinam relinquet. Hæc igitur omnia Iſocratem ſentire perſuaſerunt, Eruditionis radicem amaram eſſe.

ΠΑΡΑΒΟΛΗ.

A ſimili.

Nam quemadmodum agricolæ ſummo cum labore terræ ſemina mandant, fructus verò maiore cum voluptate colligunt, ita qui ad ſtudia accinguntur, ſibi laboris multi comitem gloriam comparant.

ΠΑΡΑΔΕΙΓΜΑ.

Ab exemplo.

Reſpice Demoſthenis vitam, qui vt oratorum omnium laborioſiſſimus, ita clariſſimus euaſit, qui fuit adeò ſtudijs intentus, vt comam natiuum capitis ornamentum, exeundi poteſtatem ſibi præripiendo, detonderet, ratus id pulcher-

pulcherrimum decus, quod à virtute prouenisſet. Quæ igitur alij profundunt ad voluptates, ille continuis lucubrationibus impendit.

ΜΑΡΤΥ΄ΡΙΑ ΠΑΛΑΙ΄ΩΝ.

A' teſtimonio veterum.

Id circò præclarè hoc (vt omnia) Heſiodus ait, Aſperam eſſe ad virtutem viam, cacumen verò molle. Nã idem quod Iſocrates, protulit. Heſiodus enim viam, Iſocrates autem radicem appellauit, diuerſis verbis eandem vterq; ſententiam demonſtrantes.

Ε᾿ΠΙ΄ΛΟΓΟΣ.

Quæ ſi rectè conſiderabimus, meritis laudibus euehemus Iſocratem, vt qui ſapienter de eruditione conſcripſerit optima.

SENTENTIA.

ΓΝΩ΄ΜΗ.

SEntentia, eſt oratio, breui complexu aliquid, quod ad hortandum, dehortandumve pertinet, explicans. Sententiarum verò alia exhortans, alia dehortans, alia enuntians. Eſt item alia ſimplex, alia compoſita: prætereà alia probabilis eſt, alia vera, ſuperlata alia.

EXORTANS SENTENTIA EST, VT:

Oportet amicum præſentem amare, volentem verò amittere.

DEHORTANS, VT:

Turpe quiete Ducem totas deperdere noctes.

ENVNTIANS, VT:

Pecunijs opus eſt, ſine quibus nihil eorum, quæ neceſſaria ſunt, rectè fient.

SIMPLEX, VT.

Optimum id augurium eſt, patriam tutarier armis.

COM-

COMPOSITA, VT:

Multos eſſe malum Reges, Res vnicus eſto.

PROBABILIS, VT:

Quales amicos quiſque habet, talem ſcias.

VERA, VT:

Expers malorum vita nulli contigit.

SVPERLATA, VT:

Infirmius nihil homine.

Hoc ergo pacto ſententia diuiditur. Tractabis verò ipſam eiſdem capitibus, quæ in vſus explicatione diximus. Laudabis primùm, deinde explicabis: tum confirmabis, ex Cauſa, cõtrario, Similitudine, exemplo, Teſtimonio veterum Demum breui Epilogo concludes. Differt autem ſententia ab vſu, eò quòd vſus perſæpe actiuus eſt, Sententia verò ſemper in oratione conſiſtit. Deinde quòd vſus ſemper habet additam perſonam.

Sententia ſine perſona effertur.

EXEMPLVM SENTENTIÆ.

Exhortatiuæ Theognidis.

In mare cetiferum, ne te premat aſpera egeſtas,
Deſilij, & à celſis corrue, Cyrne, iugis.

ἘΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΌΝ.

A laudabili.

Indignum Theognidi viſum eſt, Poeticam velut rem ineptam accuſari. Itaque relictis fabulatum commentis, ipſe ad formandos mores, vitámque inſtituendam, ipſam traduxit. Cum videret enim Poetas compoſitis fabulis, veluti præclaro aliquo inuento, gaudentes, ipſe ſatius duxit: quomodo rectè viuatur, carmine complecti. Laudandus certè ob vtrunque: & quod metri gratiam obſeruauit, & quod meliorum admonens, inſtitutionis attulit fructum. Sed huius, vt alia omnia, ita hoc imprimis meritò quis laudauerit, quod de paupertate dixit.

ΠΑΡΑΦΡΑΣΤΙΚΟΝ.

Expoſitio.

Quidnam igitur dixit? Qui vitam in miſeria ducit, mori potius amet. Multò enim melius à vita diſcedere, quàm Solem ſui dedecoris teſtem habere. Hæc ſunt, quæ ex Philoſophorum dogmate protulit. Licet autem conſyderare, qua ratione motus, illa tam prudenter ediderit.

Τὸ τῆς αἰτίας.

A causa.

Degens enim in paupertate, cùm ad huc minor natu eſt, nequit exerceri ad virtutem: vt verò ad virilem peruenerit ætatem, improbiſſima faciet. Legatus enim pro patria pecunia corrumpetur: cōcionaturus, quò ſpes lucri duxerit, eo flectet orationem. Ius vero dicturus, pro largiente pronuntiabit, ſuſcipietque pro ſuffragijs dona.

Ἐκ τοῦ ἐναντίου.

A contrario.

Vacui autem paupertatis curis, & pueri ad ſpem protinus honeſtiſſimam virtutis attolluntur, & viri facti cuncta ſplendidè adminiſtrant, iam in pace ſumptum edendis publice muneribus, faciendiſque ludis præbentes, iam in bello impenſas in toleranda militiæ onera conferentes.

Παραβολή.

A ſimili.

At verò quemadmodum grauibus aſtricti vinculis, quò minus liberum ipſis ſit, quod velint agere, vinculis prohibentur, ſic in paupertate degentibus obſtat, quo minus exercere libertatem poſſint, ipſa paupertas, & inopia rerum.

Παράδειγμα.

Ab exemplo.

Irum vides, qui cum Ithacenſium vnus eſſet, non tamen id iuris ſibi, quod reliquis ciuibus erat. Cui tàm moleſta paupertas fuit, vt nomen quoque ino-

piâ permutaret. Arnæus enim primo vocatus eſt, poſteâ Irus appellatus, id ab adminiſtratione cognomentum aſſecutus. Et quid oportet Irum dicere? Ipſe qui Ithaca quoque potiebatur Vlyſſes, poſtquam domum rediens paupertatem ſimulabat, ipſius etiam ſenſit mala, domi ſuæ à temulentis miniſtris percuſſus, & iniuria adfectus, adeò paupertas meo iudicio dura res eſt.

Μαρτύρια παλαιῶν.

À teſtimonio veterum.

Præclarè ergo, rectèque Euripides inquit, Malum eſſe nihil habere, neque paupertatem nobilitate leuari poſſe.

Ἐπίλογος.

Epilogus.

Quomodo ergo quis ſatis & pro dignitate laudabit Theognidem, talia tamque grauiter de paupertate monentem?

RESTRVCTIO, SIVE SVBVERSIO.

Ἀνασκευή.

Reſtructio vel Subuerſio, eſt propoſitæ alicuius rei reprehẽſio. Subuertenda verò neq; manifeſta valde, neque prorſus incredibilia, ſed ea quæ velut mediæ ſunt conditionis.

Oportet autem, cùm ſubuertere aliquid voles, primùm eos reprehendere, qui dixerunt: deinde ſubijcere rei expoſitionem, poſteà ipſam ſubuertere capitibus hiſce:

Obſcuro
Incredibili
Impoſſibili
Non cohærente
Indecoro
Inutili

Hoc autem præexercitamentum omnem propemodum artis vim in ſe complectitur.

EXEMPLVM.

Cuius argumentum eſt, non veriſimilia eſſe, quæ de Daphne dicuntur à poëtis.

Poeta-

Poetarum coarguere ineptiam, abſurdum mihi videtur, cùm vel ipſi fidem ſibi detrahant, his maximè, præter alia, quæ de Dijs impudenter fabulantur. Prorſus enim ſuperuacuum videtur, poetarum vllam nos habere rationem, qui Deorum, quorum cura oĩa gubernantur, nullam ipſi habeant curam. Et graue quidem videretur, quiſquis ab ipſis Deorum in fabulam miſſus eſſet, Apollinem verò, quem artis ſuæ ducem videri volunt, impudentiæ materiam eſſe, quis erit, qui æquo animo perpeti poſſit? Libet ergo audire, qualia de Apolline & Daphne confingant.

ἘΚΘΈΣΙΣ.

Expoſitio.

Daphne, inquiunt, ex Terra Ladoneque fluuio procreata eſt. Hanc ob egregiam ſpeciem, eximiumq; oris decorem, Phœbus adamauit, cupienſque Deus reſtinguere deſiderium ſuum, aſpernantem, fugientemq; ſecutus eſt, ſed comprehendere nequijt. Verùm Terra mater, aſſumpta filia, florem, eo quo puella nomine, pro ipſa exhibuit, ipſam verò in arbuſtum vertit, cuius rami propter deſiderium puellæ in coronam Pythio tripodi dicati ſunt: flos verò in mercedem ceſſit diuinationis. Huiuſmodi quidẽ ſunt, quæ illi fabulantur, quæ quàm ſit in promptu confutare, hinc facilè libebit.

Ἐκ τοῦ ἀσάφους καὶ ἀπιθάνου.

Ab obſcuro, & non probabil.

Daphne ex Ladone & Terra procreata eſt. Quis, oro, tam demens, vt ex his quenquam naſci poſſe credat? Ipſa homo fuit, illi autem diuerſam, & ſuam vterque habeant naturam. Quomodo verò Ladon Terræ coniunctus eſt? an quòd aquis ipſam inundat? Quin omnes ergo fluuij Terræ mariti dicantur, cùm nullus ipſam non aquis ſuis irriget? Quod ſi ex fluuio homo nata eſt, quid ni ex homine fluuium quoque naſci poſſe credimus? Qui minus enim tales ex filijs poterunt gigni, quàm ex qualibus ipſi prodierunt? Iam quo pacto nuptias fluuij, Terræq; nominant? Sentiendum enim coniugium eſt, Terra autem, fluuiuſque ſenſus ſunt prorſus expertes. Ipſa verò Daphne vtrum paternum ſequuta genus, inter fluuios numeranda eſt, an pater filiæ homo putandus?

Ἐκ τοῦ ἀδυνάτου.

A difficili.

Verùm eſto, concedatur poetis natam Daphnem ex Terra & Ladone. Na-

Digitized by Google

ta ergo Puella apud vtrum educata eſt? Vt demus enim naſci ita puotuiſſe, vt educarentur fieri tamen non potuit. vbi enim verſata eſt puella? Hercule apud eum quit genuit, ecquis ergo hominum vitam in fluuio ducit? Obliuiſcetur enim naturæ ſuæ pater, citiuſque ſubmerget fluctibus, quàm alet. Verùm ſub terra apud matrem habitauit. Latebat ergo, nulliusque aſpectui in occulto poſita patebat, cuius autem latebat decor, nullius animum mouere deſiderio potuit.

Ἐκ τοῦ ἀπρέπους.

Ab indecoro.

Vis & hoc aſſentiamur poetis? Quomodò tandem amauit Deus, & impotenti ad fectu à natura ſua degenerauit? Amor omnium rerum, quæ humanas ſolicitant mentes, eſt peſſima. Impium autem videtur, grauiſſima naturæ noſtræ. Dijs quoque attribuere. Nam ſi omni ex parte noſtris teneantur incōmodis, qua in re mortalibus præſtabunt? Nihil autem malorum eſſe, quod nō experiantur, certum erit, ſi amore (quod omnium peſſimum eſt) torqueantur. Sed neque diuina natura hanc ægritudinem capit, neq; credibile eſt, Phœbum adamaſſe.

Ἐκ τοῦ ἀνακολούθου.

Ab inconſequenti.

Inſequens verò puellam Phœbus quomodo ab ea victus eſt curſu, Deus ab homine? Viri enim mulieribus præſtant, & Deum fœmina ſuperauit? Et, quæ reliquis hominibus par eſſe non poteſt, ei Deus ceſſiſſe creditur? Quamobrem autem fugientem puellam mater excepit? An quia malas nuptias putauit? Quomodò ergo ipſa facta eſt mater? An verò bonas credidit? Cur ergo id bonum filiæ inuidit? Aut ergo mater non fuit, aut malam fuiſſe matrem conſtabit.

Ἐκ τοῦ ἀσυμφόρου.

Ab inutili.

Quid ita verò Terra ſecum ſuis ipſa operibus ſenſit? offendítque Phœbum filiam auferens, rurſumque reddita, eiuſdē nominis arbore ipſum oblectans? Non debebat gratificari illi, ſi offendere ipſum volebat. Quare demum arbore illa tripodas coronauit? Arbor enim voluptatis fuit merces, diuinatio verò virtutis eſt indicium. Quomodò ergo Deus coniunxit ea, quæ natura repugnant? Cur mortalis quidem amica, immortalis verò amator.

Digitized by Google

Ἐπίλογος.

Peroratio.

Sed finis ſit, neque enim plura de Poetis dicam, ne ipſorum ineptiam longius inſectando, in eandem, quam in illis reprehendo, vanitatem videar incidiſſe.

CONFIRMATIO, SIVE ASSEVERATIO, QVÆ *Græcis* κατασκευὴ *dicitur.*

Confirmatio, vel Aſſeueratio, eſt propoſitæ rei comprobatio. Confirmanda verò ſunt, quæ neque prorſus manifeſta ſunt, neque omnino fidem, vt fieri poſſint, habent, ſed quæ medium ordinem ſeruant. Qui autem confirmare intendunt, omnibus capitibus confutationi contrarijs vtentur. Primũ enim laudent eum, qui dixit: quod confirmandum eſt: Deindę rem exponant, Poſtea contrarijs eorum, quæ diximus comprobent ipſum.

Pro	Obſcuro Incredibili Impoſſibili Repugnante Indecoro Inutili.	Quidem	Manifeſto Probabili Poſſibili Cohærente Decente Conferente.

Sanè hæc quoque exercitatio omnem vim artis intra ſe complexa eſt.

CONFIRMATIONIS EXEMPLVM.

Argumentum.

Veriſimilia eſſe, quæ de Daphne referuntur.

Exordium à Laude dicentium.

Poetas quiſquis vituperat, ipſas mihi vituperare Muſas videtur. Si enim quæcunque canunt Poetæ, Muſis inſtructi profundunt, quid ni planè Muſis bellum indicit, qui poetarum reprehendere conatur inuenta? Ego quidem omnium poetarum ſententiam comprobo, illius autem maximè qui Daphnen ab Apolline eſſe amatam, ſapienter protulit. Sed quænam ſunt, quibus fidem non adhibent? Daphne, inquiunt, è Terra nata eſt, & Ladone.

Expoſi-

Digitized by Google

Expoſitio rei à manifeſto.

Cur hoc apud Deos incredibile? Nonne rebus omnibus aqua & terra ſunt origo? Nonne ſemina rerum omnium elementa præbent? Si verò quicquid gignitur, procedit ex terra & aqua, nimirum Daphne eiſdem orta eſt, quibus omnia, principijs, Ladone & Terra, genita ſcilicet inde, vnde cuncta procreantur. Superabat autem Daphne facie reliquas omnes: Rectè quidem. Quæcunque enim primò è Terra emittuntur, cum naturę pulchritudine producuntur, & primo velut natiuo, proprioque conſpicua decore, pulcherrima videntur. Multæ autem mutationes corporibus ſpecioſiſſimis tempore accidunt: quæ verò recens nata primum apparuerunt, ea formoſiſſima, veluti quæ nullum adhuc decoris ſui damnum paſſa ſunt, blandiſſimè oculos noſtros morantur. Rectè igitur Daphne forma pręſtabat primùm ex Terra procreata.

À probabili.

Ob cuius admirandam pulchritudinem Pythius amore captus eſt, non iniuria. Quicquid enim in terris eſt, quo res vllæ ſint conſpicuæ, atque admirandæ, id omne à Dijs ipſis tributum eſt. Si verò bonorum omnium amabilis in primis eſt pulchritudo, quid mirum ſi iucundiſſimum Deorum munus, Deum quoque habuit amatorem? Quæ enim Dij donant, ea omnes amore proſequuntur.

À poſſibili.

Conabatur autem amans Deus ſuo deſyderio mederi: ſic enim res habet: Virtutes non ſine labore comparantur, & opus eſt ſudore, quiſquis eas aſſequi velit. Hinc ergo laborabat amator, nec tamen deſyderans amicam comprehendit. Ingens enim eſt virtus, nec ad extremam ipſius metam quiſquam poteſt peruenire. Aiunt igitur amare Phœbum, non Terram ſcilicet, nec Deorum maieſtatem vanis cōmentis dehoneſtantes, ſed virtutis oſtendentes naturam, vt Apollo ſit qui virtutem quærit, ipſa verò virtus Daphne.

À cohærenti.

Fugientem puellam mater excepit. Cuncta enim quæcunque ſunt, mortalem ſortita naturam, ad ea, vnde orta ſunt, feſtinant reuerti. Idcircò in terram cecidit Daphne, ex terra prognata.

À Decenti.

Accipiens autem puellam mater, pro ipſa reddidit arbuſtum. Vtrumque ſius terræ proprium, vt in hanc homines cadant, & arbores ab ea naſcantur.

À Con-

A Conferenti.

Procreatum autem arbuſtum Apollinis honori dicatum eſt: Dij enim extra prouidentiæ ſuæ complexum, ne arbuſta quidem, reliquerunt. Sed coronantur è natis, & primitiæ prodeuntium è terris, ipſis ſacrantur. Sed & arbor diuinationis facta eſt merces atque ſymbolum. Hoc autem conueniens puto. Daphnen enim poetarum multi σωφρόνην, id eſt, temperatam appellant, & oracula dare, à temperantia prouenit.

Concluſio.

Itaque quoniam puella voluptatum expers fuit, virtutibus conſecratur. Neque enim poſſet futurorum eſſe capax, qui laborat intemperantia, contaminatum habens fœda libidine pectus, quas ob res poetas admiror, & laudo, ipſum veneror carmen.

Locus Communis.

ΚΟΙ´ΝΟΣ ΤΟ´ΠΟΣ.

Locus communis, eſt oratio, bona aut mala, quæ alicui inſunt, argumentans. Dictus autem eſt communis, quod omnibus, qui eius rei, de qua agitur, participes ſunt, communiter conueniat, atque congruat. Oratio enim in proditorem omnibus in commune proditioni obnoxijs aptatur. Deuterologiæ, id eſt, argumentationi iam peractæ, & epilogo ſimilis eſt. Quare locus communis non habet procemium, attamen iuniorum exercendorum cauſſa, quandam procemij formam licebit fingere, cui ſubdere capita, primum ex contrario, hinc rei expoſitionem, non tanquam doceas, res enim nota eſt, ſed vt auditorem incites, aut exaſperes. Poſt hanc afferes comparationem, qua ex collatione id, de quo agitur, in maius extollas. Poſtmodum collocabis ſententiam, vel mentem, caput ſic vocatum, exprobrans, aut calumnians agentis intentionem. Deinde coniecturali digreſſione vitam præteritam in criminum ſuſpicionem deuocabis, deinde miſericordiæ excluſionem. In fine autem huius præexercitationis, pones capita finalia:

Legitimum,
Iuſtum,
Vtile,
Poſſibile,
Honeſtum,
Euenturum.

EXEMPLVM.

Quemadmodum legibus conſtitutum eſt, ipſaque apud nos iudicia cenſuerunt, legibus pœnas luat is, cuius ſcelere leges nullæ fuerant amplius permanſuræ. Quod ſi præſenti liberatus ſupplicio, foret æquabiliorem ſe ſe præbiturus, aut vitam popularem ducturus, illi forſitan aliquis pœnam remittere poſſet, cum verò elapſus in præſentia, ſit longè violentior euaſurus, iniuſtum certè fuerit, inſecuturæ tyrannidis initium præſenti delicto condonari.

Secundi proemij forma.

Ex aliorum abſolutione reorum non magnum fortaſſe Iudicibus periculum fuerit emerſurum: Verum ſi Tyrannus abierit impunitus, certum eſt, ad ipſos Iudices præcipuum diſcrimen deuolutum iri, quos cum ipſis legibus è medio tollent, potientes rerum Tyranni.

À contrario.

Videmini autem mihi, Iudices, in eius ſolùm, quod in præſentia eſt, contemplatione mentem habere defixam, virtutis, ſeueritatiſque maiorum noſtrorum obliti, quorum iuſtius erat reputare, animóq; proponere ſententiam, qui nobis velut maximum, incomparabileq; munus, Remp. omni dominatione vacuam, ſolutámque reliquerunt. Optimè quidem illi, atque rectiſſimè. Quando enim fortuna ipſa varietate ſua inconſtantem ſe, diuerſámque hominibus præbet. Proinde mentes quoque hominum ad recte, ſecuſque agendum multiplici flexu trahuntur. Hinc inæqualitati fortunæ legum æqualitatem oppoſuerunt, inſtitueruntque Rempubl. velut vnam ciuium omnium ſententiam faciente, vt fortunam nunc prementem res cuiuſque, nunc extollentem legum conſtantia æquaret, eſſetq; in ciuitatibus lex, correctio malorum, quæ fortuna patraſſet.

Ab expoſitione.

Cuius iſte, aut immemor, aut contemptor potius ſceleſtiſſimo ſecum conſilio inſtituit, vt Rempublicam deleret, taliáque ſecum diſſerebat: Quorſum hoc ergo per Deos immortales? Supra omneis poſitus, omnibus me patiar æquari? Fruſtraq; permitto cumulare diuitias mihi fortunam, ſi eadem quæ vulgus faciam, eadem feram? & collecti pauperes indicant, quodque multis videtur, id mihi tanquam lex obſeruandum erit? Quouſque ergo hæc? Quis modus erit, aut horum quæ liberatio? Occupabo arcem, & peſſimè perituras longè abigam leges, eroq; reliquis ego lex potius, quam reliqui mihi. Hæc ipſe ſecum reuoluebat, nondum verò votorum ſuorum finem aſſecutus, ob-

ſtitit

ſtitit enim beneuolentia Deorum. Quid ergo non iniquiſſimũ eſt, ſi propterea, quæ fruſtra conatus eſt, ſummam Dijs gratiam debemus, propter eadem hæc hunc hodie conſeruari?

A Comparatione.

Sceleratus eſt homicida, ſceleratior tamen multò Tyrannus. Ille enim vnum, quiſquis is fuerit, perimit: hic verò totas conuellit ciuitatis fortunas. Quanto ergo minus eſt, parum offendere, aut vnum necare, quam omneis occidere, tanto minus eſt homicidæ malum, quàm atrox Tyranni crimen.

A ſententia.

In alijs autem reis euenit plerunque, vt, tametſi grauiſſima admiſerint, mentem eximant delicto, animoque defendantur. Solus autem Tyrannus fiduciam non habet, vt inuitum ſe dicere queat tantum ſcelus ſuſcepiſſe. Itaque ſi inuitus tyrannidem fuiſſet aggreſſus, eſſet fortaſſe ratio aliqua huius ipſum conatus abſoluere. Verum cum ante rem attentatam ipſe multum ſecum diuque deliberauerit, quomodo iuſtum cuique videbitur, culpa carere ipſum, qui ante opera mente quoque factus eſt Tyrannus.

A digreſſione.

Alij ergo, quicunque in ius vocantur rei, præſentis ſolùm criminis rationem repoſcuntur, & propter prioris vitæ rectè facta ſæpius abſoluuntur, præſentibúſq; delictis ignoſcitur. Solus verò Tyrannus vtriuſque temporis iudicium ſubeat oportet. Liquet enim quàm immodeſtè atque immoderatè vitam præteritam, & quàm crudeliter præſentem exegerit ipſe. Itaque vtrorumque det pœnas, & eorum quæ antè, & eorum quæ præſentis ſceleris conatu deliquit.

Ab Excluſione Miſericordiæ.

Libet autem videre cuius preces præſenti ipſum diſcrimini ſint exempturæ. Liberi nempe? Verùm cum ſupplicantes vobis, flenteſque illos videbitis, putate vobis aſſiſtere leges, quarum vos reſpectu moueri multò rectius eſt, quàm liberorum ipſius. Illos enim ſperatæ dominationis fuerat relicturus hæredes, leges verò, quod iudicandi, decernendique de ipſo poteſtatem habetis, præſtant. Itaque per quas, quòd Iudices eſtis, vobis datur, pro eis iuſtius fuerit vos ſententiam ferre.

A Legitimo.

Si enim rectâ leges iubent eos, qui patriam in libertatem afferunt, honori-

bus afficiendos eſſe, neceſſariò relinquitur eos, qui in ſeruitutem redigere conantur, eſſe puniendos.

A Iuſto.

Iuſtum autem eſt, vt tantum vobis det pœnarum, quantum ipſe ſceleris admiſit.

Ab Vtili.

Quòd ſi Tyrannus occubuerit, id magno vobis vſui futurum eſt. Quoniam firma præſtructio confirmandi leges erit.

A facili & poſſibili.

Facile autem & expeditum erit, de ipſo ſumere ſupplicium. Neque enim quemadmodum ipſe ad aſſerendam tyrannidem ſatellitibus, ita vos ad opprimendum ipſum auxilijs opus habetis. Sed ſufficiet (Iudices) ſola veſtra ſententia, cuius cùm à Rep. ius, poteſtatemque acceperitis, pulcherrimum quoque erit, pro Reip. ſalute ipſam experiri.

Ab euenturo concluſio.

Qua facili cognitione totam hanc præſentem tyrannidis poteſtatem auferetis.

L A V S.

Ἐγκώμιον.

LAus eſt Oratio, bona alicuius enumerans.

Laudandæ verò ſunt:
- Perſonæ, vt Thucydides, aut Demoſthenes.
- Res, vt iuſtitia, aut temperantia.
- Tempora, vt ver, æſtas.
- Loci, vt portus, horti.
- Ratione carentia animalia, vt equus, aut bos.
- Plantæ, vt vitis, aut oliua.

Laudamus verò & communiter, & ſingulatim. Communiter, vt omnes ſimul Athenienſes. Singulatim, vt Athenienſem vnum aliquem. Hæc verò diuiſio eſt laudis.

Diſpones autem ipſam hoc pacto:

Primùm proemion pro qualitate rei pones:

Deinde ſubijcies genus, quod diuiditur in:
- Gentem,
- Patriam,
- Maiores,
- Patres.

Poſt

poſt educationẽ explicabis, quæ continetur { Inſtitutione, Arte, Legibus.

Hinc ſubdes præcipuũ laudum oĩum caput, res geſtas, quas diuides in ea quæ ſunt { Animi, vt quæ fortitudinis ſunt, quæ prudentiæ. Corporis, vt pulchritudinem, velocitatem, robur. Fortunæ, vt principatum, potentiam, diuitias, amicos.

Addes deinde comparationem, qua id quod laudatur, alteri collatum tollatur in maius. Poſtremò epilogo, qui precationi ſimilior ſit, concludes.

EXEMPLVM.

Laudatio Thucydidis.

Æquum eſt eos, qui vtilia nobis adinuenere, ſuis ipſorum inuentis ornare, laudibus proſequi, & quod ab illis eſt proditum, iiſdem quoque ceu authoribus cum gratia reponere, acceptumque referre. Non igitur iniuria Thucydides oratione mihi celebrandus eſt, qui ipſi plurimum attulit ornamenti. Omnes enim de aliqua humanarum rerum parte bene meritos decet venerari: Thucydidem verò eò magis, quòd pulcherrimo omnium illuſtrando curam ſuam impendit. Neque enim quicquam eloquentia pulchrius, neque Thucydide quenquam benedicendi gloria præſtantiorem inuenire eſt.

A Patria.

Nactus autem Thucydides eam eſt patriam, quæ & vitam pariter ſibi, & eruditionem præberet: neque enim in alio loco natus eſt, quàm vnde omnis bene dicendi ratio profluxit, originem vitæ ſortitus Athenis.

A Maioribus.

Regis generis ſui habuit authores. Itaque ab vltima protinus origine clariore maiorum fortuna eſt illuſtratus. Vtraque ergo habens, & generis amplitudinem, & ciuitatis ſtatum popularem, quò clarior vtrinque fieret, eſt ab vtroque adiutus. Etenim ne ad iniuſtas opes, potentiamque delaberetur, æqualitate legum prohibitus eſt, neue in obſcura reliquæ plebis vilitate deliteſceret, felicitate generis eſt conſecutus.

Ab Educatione.

Talibus igitur procreatus parentibus, idque in Republica Athenienſium, inter leges educatur, quas certè optimas eſſe vitæ magiſtras in confeſſo eſt.

Inter leges autem, armaq; viuere inſtituens, eruditioni, ſimul atq; rei militari operam dare decreuit, neque ſtudia armis deferens, neque arma (vt præcipuã prudentiæ partem) relinquens, vnoque conatu duarum diuerſarum artium curam habebat, coniungens ingenio pariter ea, quæ natura ſunt ſeparata.

A Rebus Geſtis.

Vt tandem ad virile peruenit robur, occaſionem quæſiuit proferendis eis, quæ pulchrè fuerat in ætate meditatus. Nec defuit caſus, bellúmque protinus eſt ortum, ipſeque res ab vniuerſa geſtas Græcia literis complexus, poſteritati mãdauit, conſeruator eorum, & velut reſtaurator, quæ bellorum deleuit iniuria. Nec paſſus eſt, quod quiſque geſſit, temporum ſitu aboleri. Ex ipſo ergo cognoſcitur captam eſſe Platæam, ſcitur Atticam eſſe vaſtatam, tenetur Athenienſium claſſibus Peloponneſiorũs eſſe nauigatas, certatum eſſe nauali prælio apud Naupacton, non eſt nos Thucydides id paſſus latere. Leſbum Athenienſibus eſſe captam, id quoque ab ipſo indicatur, cum Ambratiotis pugnatum eſſe, hoc & ne diuturnitas aboleret, effecit. Iudicium Lacedæmoniorum non ignoratur. Sphacteria & Pylos ingentes Athenienſium labores non latent. Concionantur Corcyræi Athenis, Corinthij ipſis contradicunt. Æginates, vt Athenięſes accuſent, Lacedæmona proficiſcuntur. Iam verò à belli conſilio Lacedæmonios Archidemus abſterrens, contra Steneleidas ad bellum ſuſcipiendum impellens. Ad hæc Pericles legationem Laconicam contemnens, neque paſſus deficere animo propter peſtilentiam Athenienſes. Cuncta hæc Thucydidis opera, ingenioq; in omne æuum ab obliuione vindicantur.

A Comparatione.

Quis autem Herodotum illi comparauerit? Ille enim ad voluptatem legentium ſcripſit, hic omnia ex rebus ipſis, atque veritate deprompſit. Quantò verò quod ad alienam fit gratiam, infra id eſt, quod fit ad veritatem, tantò poſt ſe Thucydides Herodotum relinquit.

Epilogus.

Erant alia quoque permulta, quæ de Thucydide dicerentur, niſi, quò minus omnia diceremus, laudum ſuarum nobis obſtaret multitudo.

ALIVD EXEMPLVM.

Laus Sapientiæ.

PROOEMIVM.

SApientiam adipiſci felicitatis eſt, laudare autem pro dignitate ipſam maius eſt, quàm vt noſtris id viribus adſequi poſſimus. Tantùm enim illi ſupe-

ſuperat gloriæ, vt commune quoddam Deorum immortalium bonum eſſe credatur. Cùm enim Deorum vnuſquiſque vt deſcriptam officij ſui tueatur partem, Iuno nuptijs præſit, bellis Mars cum Pallade, Vulcanus inter ignes fabrileis ſuas exerceat parteis, ducat Neptunus nauigantes,& quiſquis alius aliud ſibi vendicet, ſapientiam in commune ſibi aſſerunt omnes, præcipuè verò præ omnibus Iupiter,quantò reliquis maior eſt,tantò omnium quoque ſapientiſſimus æſtimatur.

A Genere.

Vnâque ſapientia eſt, quæ vel maximè æternam Ioui præſtat poteſtatem. Et Dij quidem natiuam ipſam cognatamque ſibi habent, munere autem ipſorum in terras quoque delata eſt,& Deorum filij ſapientia ſua maximam humanæ vitę vtilitatem attulerunt.Quapropter poetæ laudem merentur,qui Palamedem & Neſtorem, & ſi quis alius ſapiens olim fuiſſe canitur, Deorum fuiſſe filios tradiderunt. Non quidem illi vano cõmmento Deorum naturam velut permutare conati, quam ne Dij quidem ipſi permutare poſſent, ſed generis permixtione cõmunicationem indicantes virtutis, vt qui diuina quadam cæteris admiratione præſtarent, Deorum filij crederentur. Nec immeritò illorum in Deos referebant genus,quorum ſapientia maior,quàm humana,originem videbatur adfirmare diuinam.

A Sapientiæ Operationibus.

Solà autem ipſa vtroque rerum ſtatu æquas habet rerum vires. Nam reliquarum alia bello ſolùm probantur, alia laudamus in pace. Sapientia verò præcipua eſt vtriuſque temporis moderatrix. Sic in bello verſatur tanquam prorſus artium pacis ignara, ſic pacem continet, tanquam nunquam agitata ſtrepitu bellorum.Denique tam aptè vtrique ſeſe accommodat,vt in vtro horum æſtimes,ei ſoli videatur eſſe dicata. Fert pacis temporibus leges,& omni tranquillitatis vtitur more,in bello verò victoriam prębet.Neque armis ſolùm ſuperiorem facit, ſed in concionibus quoque pręſtat inuictum. Itaq; & inter bellantes, & inter pacatos ſola pręcellit primaſque ſibi vendicat ſapientia. Sola quoque diuinitatis proxime exprimit ſimilitudinem, ſola enim, velut Deus,futura proſpicit.Quin ipſa quoque terram agricolis attribuit,nauigantibus aſſignauit mare,adeò non fruges colligere ſine ſapientia,non nauim,niſi ſapientis gubernatoris pręſidio freti,aſcendere auderemus.Itaque quicquid exhibet mare,quicquid hominum vſibus terra profert, meritò ſapientiæ munus cuncta cenſentur. Ne cœlum quidem, & ſi quid in ipſo latet, dimiſit in occulto, quantum ſolis ſe porrigit ambitus, quod ſpatium ſtellarum vnaquęque circumſcribit,ipſa peruestigauit. Deſpexit intra terras etiam,& quo pacto vita defuncti agemus, ipſa nobis aperuit. Troiam quam capere temporis diuturnitas non potuit, ſapientiæ aſtus ſubegit, & vnius conſilium adepta, vniuerſam Perſarum potentiam diſſoluit. Cyclopis oculus erutus eſt prudenti

Vlyſſis

Vlyſſis inuento, ſicque quicquid eſt, quo quiſquam vincat, ab ipſa ſapientia deriuat.

A Comparatione.

Quis ergo ipſi fortitudinem comparaſſe velit, cùm quicquid viribus fieri poſſit, ipſa etiam ſapientia præſtet? Adeoque ſi ipſam fortitudini ademeris, per ſe fortitudo culpanda videatur.

Epilogus.

Erant & multa alia, quæ de ſapientia dicerentur, niſi maiora eſſent, quàm quæ poſſent modica oratione complecti.

VITVPERATIO.

Ψόγος.

Vituperatio eſt ſermo exponens mala, quæ alicui inſunt. Differt autem à loco communi vituperatio, quòd locus communis pœnas expoſcit, vituperatio verò ſolùm habet velut nudum conuitium.

Diuiditur autem in eadem capita, quibus laus. Poſſuntque vituperari eadem omnia, quæ & laudari.

Perſonæ,
Res,
Tempora,
Loci,
Bruta animalia,
Plantæ.

Vituperamus verò & communiter & ſingulatim. Vbi verò procemion feceris, adiunges genus, quod diuides eadem, qua in laude, ratione. Deinde educationem, & res geſtas, & epilogum ita facies quemadmodum in laude.

Vituperatio Philippi.

Exordium.

Neque virtutem merita laude fruſtrari rectum eſt, neque itidem ſine reprehenſione dedecora relinqui: quoniam ſi non ita fiat, id quod præcipuum eſt amborum, præmium vtrique aufertur: laudandis quidem gloria rectè factorum, vituperandis verò ſcelerum turpitudo. Omnes autem malè audire æquum eſt, qui malos ſeſe præbuerunt, tantò magis verò omnibus Philippum, quantò omnes improbos longè omni ſcelere ſuperauit.

A Genere vel Natione.

Natus eſt ex ea gente, quæ peſſima eſt oĩum Barbarorum, & quę non certis conſiſtere ſedibus potuerit propter ignauiam, ſed coacta ſit; locum è loco permutans, varijs erroribus iactari. Argiui enim primùm ipſos finibus exturbauerunt, hinc diu vagi, ad eam tandem, quam nunc incolunt, regionem perlati ſunt. Duplici itaq; infelicitate implexi, & quòd melioribus coacti ſunt cedere, & quòd in imbecilliores violenti iniuſtique fuerunt, nunquam tutò habitare, aut vacui metu agere potuerunt.

A Patria.

Vt cùm ex gente ignominioſa oriundus ſit, tamen ex ciuitate magis etiam infami natus eſt. Vt enim abiectiſſimi Barbarorum cenſentur Macedones, ita Macedonum, eiuſque terræ velut quædam ſentina eſt Pella, vt in qua ciuitate ne frugi quidem ſeruorum vllus ſit prouentus.

A Maioribus.

Hac ergo progenitus patria, maiores habuit, patria ipſa longè magis pudendos. Philippus enim inter maiores ipſius fuit, cui, quo minus eius terræ regnum obtingeret, obſtitit generis indignitas, atque dedecus. Huic ſucceſſit pater Amyntas, qui regnum alienis opibus tenuit, pulſum enim in regnum Athenienſes reduxerunt.

Ab Educatione.

Tali igitur ortus patria, tales ſortitus generis autores, apud Thebanos moratus, primùm obſes fuit: nec, quamuis media in Græcia verſaretur, mores cõuictu mutans, ad meliora deflexit, ſed barbaricam ſemper impotentiam inter Græcam retinuit inſtitutionem. Cumque ſit omne humanum genus in Græcos atque barbaros diuiſum, ipſe, velut ex vtriſque commixtus, ſimilem improbitatem in diſſimilibus gentibus exercebat.

A rebus per Tyrannidem atque perfidiam geſtis.

Orſus ergo primũ à cognata gente, ipſam in ſeruitutem redegit, velut à perfidia rerum ſuarum initia auſpicatus. Inde & finitimos aggreſſus populos, perdomuit: captiſque deinde Pœonibus, Illyricos eſt adeptus. Triballorum quoque gentem inuadens, & quicquid præterea in proximo erat terrarum, omnia velut vno impetu deiicit. Et corpora quidem Barbarorum pugnando cepit, mentes autem cum corporibus nequiuit cepere, nec eorum animos pacis artibus ſibi conciliare. Quamobrem ſubinde deficiebant, & quanquam victoris cru-

ris cru-

Digitized by Google

ris crudelitatem horrebant, tamen rebellionem per omnes penè dixerim noctes ſomniabant, vt qui opere foris ſeruirent, intus cogitatione eſſent liberi. Subactis ergo finitimis Barbaris, ad Græcos caſtra mouit, atque adeò antequàm ipſam Græciam inuaderet, ciuitates, quæ in Thracia Græcæ ditionis erant, euertit, cepitque Amphipolim, Pydnam ſubegit, iſtisque Potidæam adiunxit: neque Pheras extra Pagaſas, neque Magneſiam extra Pheras omiſit: ſed cunctæ vrbes Theſſalorum capiebantur, & velut generis mercedem ſeruitutem ferebant.

A mortis genere.

Dignum ſanè fuerit, exitum quoque ipſius recenſere, poſteà enim quàm pleraque, quæ inuaſit, oppreſſerat, ſubieceratque contra fœdera eos, qui fuerant fœderibus deuincti, offenſi violatis fœderum ſacris Dei, conuenientem perfidiæ ſuæ finem dederunt. Neque enim in prælio pugnans cecidit, quò fortiſſimum aliquem mortis ſuæ teſtem reliquiſſet, ſed in medio turpium voluptatum gurgite ſuffocatus, ſe dignum ſepulchrum in earum fœditate inuenit. Videlicet vt quemadmodum eius vita, ſic & mors intemperantiæ fœdum exemplum poſteris eſſet.

A comparatione.

Quis autem eſt qui Echetum illi putet poſſe conferri? Echetus enim præciſis extremis aliquibus corporis membris reliquum ſaltem corpus relinquebat: at Philippus totos cum corporibus ipſis homines perimebat. Quantoque ſæuius eſt totum doleri hominem, quàm partem aliquam auferri, tantò perniciosior eſt Echeto Philippus.

Peroratiuncula.

Ceſſare autem à ſceleribus ſuis Philippus neſciebat, cùm mihi, victo magnitudine flagitiorum eius, neceſſe ſit, vt plura de ipſis facere verba deſinam.

COMPARATIO.

Σύγκρισις.

Comparatio eſt oratio, ex collatione aliquid diſquirens, quo id, quod cōparatur, in maius extollat, aut oſtendat æquale.
Comparantur autem vel bona bonis, vel bona malis, vel mala malis, vel parua maioribus conferūtur. Prorſusq; comparatio duplicem habet vel laudem, vel vituperationem, vel alterutrum ex laude, vituperationeque compoſitum. Omnis autem comparationis locus admodum difficilis eſt, præſertim ſi parua maioribus conferas.

Compa-

Comparari verò omnia poſſunt, quæ laudari, quæq; vituperari:

Perſonæ,
Res,
Tempora,
Loci,
Irrationalia animalia,
Plantæ.

Non oportet autem comparantem totas res totis conferre, id enim ſupinū, inefficax, & nequaquam eſt pugnax; ſed capiti caput conferendum, hoc enim vehemens: atqui diuidere totas, laudis eſt non comparationis. Comparatio autem in hoc non eſt poſita, quando totum hoc præexercitamentum comparatio vocatur.

Comparatio Achillis & Hectoris.

Proœmion.

VOlenti mihi virtutem conferre virtuti, cum Achille haud immeritò componendus fuerit Hector. Sunt quidem ipſæ per ſe virtutes nimirum abundè honeſtæ, comparatæ tamen, admirabiliores videntur.

A Loco.

Patria ergo nati ſunt non eadem, laudata tamen vterque. Ille enim in Phthia, vnde Græciæ ipſius primum prodijt cognomentum, hic verò Troiæ, cuius conditores Deorum quoque primi fuerunt. Quòd ſi pari natum eſſe loco affert aliquid ad laudem, nihil quidem hac in parte Achilli poſthabendus eſt Hector.

A Parentibus.

Nati autem vterque præclara patria, parem quoque generis habuerunt dignitatem, vterque enim ad Iouem originem ſuam initiumque generis ſui refert. Pelei enim filius Achilles fuit, Aeaci verò Peleus, & Aeacus Iouis. Sic quoque Hector Priami, Priamus autem Laomedontis, & Dardani Laomedon filius, Dardanus quoque Ioue prognatus eſt.

A Maioribus.

Progenitore autem Ioue nati vterque, reliquam quoque maiorum ſeriem habuerunt claritudine æqualem. Vt enim Achilles Aeacum habuit & Pelea, quorum ille Græcos à ſiccitate, penuriaque liberauit. Hic Lapythis deuictis ob egregiam virtutē Deæ coniugium eſt aſſecutus. Sic Hectoris Dardanus

progenitor fuit Deorum primùm dignus habitus conuictu, pater autem Priamus imperauit vrbi, cuius muros ipſi quoque Dij fundarunt. Quòd ſi non minus eſt, quàm Deæ ſortitum eſſe coniugia, Deorum, idq; optimorum, menſa conuiuioque vſum eſſe, nihil eſt, quòd quiſquam maiorum gloria Hectori præferat Achillem.

Ab Educatione.

Talibus autem vterque maioribus procreati, ambo ad fortitudinis ſeſe ſtudia contulere, & ille quidem à Chirone educatus eſt: huic Priamus ipſe præceptor, velut naturæ quadam via, virtutis monumenta tradebat. Par itaque, ſimiliſque educatio parem vtrique conciliat laudem.

A rebus geſtis.

Vt autem ad virile peruenere robur, eodem in bello par vterque animi, virtutiſque ſpecimen præbuerunt. Hector enim Troianos ducebat, ſoluſque velut obex, propugnaculumq; ciuitati datus, tuebatur ipſam, ſtetitque, quãdiu fauentibus Dijs & auxiliaribus eſt vſus. Cadens deinde, ipſam quoq; Troiam poſt ſe traxit atque euertit. Achilles verò Græcorum præerat armis, terroreque omnes vincebat Troianos, Palladis fultus numine atque auxilio, occumbensque, ſpem victoriæ in reliquum abſtulit Græcis.

A morte.

Et ille quidem victus à Pallade interijt, hic autem cecidit ab Apolline confixus. Natiq; ambo ex Dijs, ambo quoque Deos habuere mortis autores, vtq; diuinitus generis initia, ita vitæ etiam exitum accepere. Quòd ſi ſimilis vtrique vita fuit, ſimiliſque mors vtrunque abſtulit, quid eſt, quo non Hector par ſit, quoque cedere debeat Achilli?

Epilogus.

Plura erant, quæ dicerem de vtriuſque virtute, niſi quemadmodum in his, quæ dixi, ita in reliquis per omnia ipſorum gloria eſſet æqualis.

ETHOPOEIA.

Ἠθοποιΐα.

ETHopœia (id eſt, vt ita dicamus, imitatio) eſt expreſſio morum perſonæ ſubiectæ.

Imi-

Imitationis autem tres ſunt differentiæ,
- Εἰδωλοποιΐα.
- Προσωποποιΐα.
- Ἠθοποιΐα.

Eſt quidem Ethopœia, quæ notam habens perſonam, mores ſolùm effingit, vt qualia faceret verba Hercules, Euriſteo ſibi imperante. Hic notus quidem eſt Hercules, dicentis verò effingimus mores.

Idolopœia eſt, quæ perſonam habet notam, ſed defunctam, & loqui non potentem, quemadmodum ἐν Δήμοις Eupolis finxit, & Ariſtides ἐν τῷ ὑπὲρ τῶν τεττάρων. Vnde etiam Idolopœia vocatur.

Proſopopœia eſt, quando finguntur omnia, & mores, & perſonæ, quemadmodum Menander fecit argumentum. Argumentum enim nec rem, nec perſonam habet propoſitam, vnde proſopopœia eſt dicta, fingitur enim ipſa cum moribus perſona.

Diuiditur autem Ethopœia, nanque alia.
- Paſſiua, quæ exprimit adfectum, ad quam pertinent, quæ prorſus animi ſignificant motum, vt qualia verba Hecuba faceret Troia ſubuerſa.
- Moralis, quæ mores ſolos depingit, vt quid diceret mediterraneus primùm conſpicatus mare.
- Mixta, quæ mores habet pariter, & affectum, vt qualia loqueretur Achilles, ſuper occiſo Patroclo, cùm pugnare decreuiſſet. Mores enim conſilium habet, adfectum verò amicus occiſus.

Ethopœiam verò tractabis dicendi genere dilucido, breui, florido, diſiuncto, omni flexu, atque figura remota. Proq; capitibus diuides tribus ipſam temporibus: præſenti, præterito & futuro.

Exemplum Ethopœiæ paſſiuæ.

Argumentum.

Quæ verba dicere poſſet Niobe, iacentibus liberis.

A præſenti.

ME miſeram, quam aliam præ alia deflebo calamitatem, orbata nunc liberis, quibus antea fueram inſignis? Quæ copia infelici mihi ad quam redacta eſt inopiam? Non ſum iam miſera vnius filij mater, quæ anteà tam multis conſpicua incedebam. At quantò ſatius foret ſterilem fuiſſe po-

tius, quàm in lachrymas, atque luctus fœcundam? Longè enim in feliciori loco ſunt hę, quę orbitatem ſuam deflent, eis quæ nunquam pepererunt. Hoc enim quod experimentum amoris filiorum ſumpſerunt, deſtitutis poſteà acerbiſſimum eſt.

A præterito.

Sed infelicem me, quæ parem ei, qui me genuit, ſum experta fortunam. Orta enim ex Tantalo, qui conuictu Deorum felix, tandem ab ea eſt Deorum amicitia euolutus: huius quoque cladibus meis approbo me eſſe genus. Coniuncta enim ſum Latonæ, perque hanc ipſam nunc his opprimor malis, & ipſius familiaritatem filiorum orbitate deploro. Hicque mihi finis cum Dea conuictus, vt in calamitatibus degam. Prius nanque quàm ipſi ſunt cognita Latonę, felicior ipſa fui mater, vt autem ſum illi notior facta, deſolata ſum liberis, quorum anteà, quam me noſſet ipſa, inſigni fui multitudine beata. Iacet ille ſexus vtriuſq; lætus numerus mihi ſummum in luctum. Quò me vertam infelix? ad quæ deflectar? quod mihi ad tot defunctos liberos ſufficiet ſepulchrum? Miſeram me, in tantis malis meis ipſe quoque me deſerit calamitatum mearum honor, & infelici iuſta intermittuntur.

A Futuro.

Verùm enimuerò quid iſta queror, ac deploro, cùm à dijs, vt me in aliam naturam tranſmutent, impetrare liceat? Vnum hoc miſeriarum mearum video remedium, vt in alicuius; quod ſenſus vitęq; ſit expers; formam commuter. Sed vereor miſera, ne & ſic quoque, quamuis mutata, inter lachrymas agere non ceſſem.

D E S C R I P T I O.

Ε΄ Κ Φ Ρ Α΄ Σ Ι Σ.

DEſcriptio eſt oratio expoſitiua, quę narratione, id quod propoſitum eſt, diligenter velut oculis ſubijcit.

Deſcribuntur autem.
- Perſonæ,
- Res,
- Tempora,
- Loci,
- Bruta animalia,
- Plantæ,

Perſonæ, vt Homerus in Odyſſea ad Eurybaten: *Detus erat humeris, ore ater, crineque criſpus.*

Res, vt nauales pedeſtreſq; pugnę, quemadmodum Hiſtoricus fecit.

Tem-

Tempora, vt ver, aut æſtas, diſſerendo, quòd multi proferant in his ſe flores.

Loci, vt idem Thucydides portum Theſprotarum χειμέριον id eſt, hymalē, quamque teneat formam dixit.

Deſcribentes verò perſonas à ſummis ad ima vſque ire oportebit, id eſt, à capite ad pedes.

Res verò ab antecedentibus, & eis quæ inſunt ipſis, quæque ex ipſis ſolent prouenire.

Tempora verò & loca ex eis, quæ ipſis continentur.

Deſcriptionum aliæ ſunt:

- Simplices, vt quæ pedeſtres vel nauales explicant pugnas.
- Compoſitæ, vt quæ res pariter temporaq; coniungunt, veluti Thucydides qui nocturnam in Silicia pugnam deſcribit: Simul enim & pugnam quomodo facta ſit, & nocte quomodo gerebatur, comprehendit.

Oportet autem deſcribentem dicendi figura vti tenui, & multiplicibus orationem variare ſchematibus, prorſuſque res imitari, quas deſcribit.

Deſcriptio arcis Alexandriæ.

Arces in vrbibus ad publicum præſidium atque munimenta ſunt conſtitutæ, veluti vertices vrbium, hoſtiumq; arctrices, firmanturq; non magis ipſæ vrbibus, quàm ipſas vrbes tuentur. Athenienſium autem arcem media Athenarum complectitur regio. Cæterùm Alexander ſuæ vrbi, quæ ab illo cognomentum accepit, arcem conſtruxit, quam iuſtius Acropolin appellare licet, quod in vrbis extremo, & excelſo poſita ſit, quàm illam, qua multùm Athenienſes gloriantur. Hæc autem ſicuti ſe habet, ita oratione quoque proſequemur. Cliuus quidam medio è ſolo extollitur, ingenti in ſublimi ſpatio ſe proferens, hunc arcem vocant, propter vtraq; hæc, & quod hoſtes arceat, & quòd ſit in vrbis arce, id eſt, ſummo locata. Viæ ad ipſam ducunt duę, ſed diſſimiles: hac enim via eſt, illhac verò patet ingreſſus. mutatiſque proinde nominibus, idipſum quod ſunt, vocãtur: nam pedibus hac ire licet, capaxque curruum eſt via. Illi verò, quæ curribus inuia eſt, additæ ſunt ſcalæ, graduſque ſupra gradũ ex inferiori in ſublime deducens, neque prius, quàm centenarium expleuerint numerum, deſinentes, hic enim abſolutus numerus ſcalarum terminus eſt. Veſtibulum dehinc gradus excipit, cancellis mediocribus circumſeptum, quatuorque ſublimes, & maximæ columnæ, quæ vias omnes ad vnum deducunt ingreſſum columnis autem domus quędam eſt impoſita, multas mediocres oſtentans columnas, quæ vario colore conſpicuæ eximium præbent loco ornatũ. Tectum autem dictæ, in rotunditatem circumactum ingentem multiplicemque imaginem complectitur rerum. Introeunti autem arcem, locus offertur, quatuor eiſdem æquis lateribus diuiſus, proinde tota quoque ædificij figura efficitur quadrata. Aula in medio eſt columnis vndique fulta, eam porticus

excipiunt, & eæ quoque æqualibus diſtinctæ columnis, ita in medio diſpoſitis, vt neutram in partem ſint nihil quicquam deflexæ. Vnaquæque autem porticus ad tranſuerſam alteram finitur, & duplex eſt columna ad vtramque porticum diuiſa, vt illhac quidem deſinat, hac verò rurſum incipiat. Addita autẽ porticibus introrſum armaria, quibus libri reconduntur, eaque ſemper, ſi cui vacet, aut libeat legere aliquid, patẽt, totamq; velut vrbẽ ad philoſophię ſtudium adhortantur. Alia item loca ſunt, ad venerationem Deorum vetuſtorum inſtituta. Tectum porticuum auro diſtinctum, vertices columnarum ære fabricati, auroque ſupernè incluſi. Neque verò aulæ ſimplex ornatus eſt, verùm altus atque alius: quorum hic quidem Perſei continet certamina, ille autem aliud. Media autem arce columna immenſa altitudine ſe profert, quæ locum ipſum facit illuſtrem: haud enim in promptu quis, quò progrediatur, habet, niſi indicem viarum hanc ſubinde reſpectet columnam. Quin & arcem ipſam terra marique conſpicuam præſtat. In vertice principia rerum primaq; elementa ſunt expreſſa. Prius autem quàm media tranſeatur, ædificium eſt quodam, pluribus hoſtijs patens, quorum cuique à Deorum vetuſtorum aliquo eſt inditũ nomen: Duæ dehinc pyramides lapideæ poſitæ, et fons profluens, Piſiſtratarum fonte haud paulò melior. Mirandum etiam id quoque ſpectaculum, eò quòd eorum, qui fabricati ſunt arcem, velut vno tanto operi non ſufficiente, numerum nominaque comprehendit, duodecimque pariter in ipſo arcis faſtigio cõſpiciuntur artifices. Deſcendẽti autem ab arce, planus offertur locus ſtadio adſimilis, idque ipſum loci eſt nomen. Alia item parte alius quoque ad ſimilia accommodus, verùm illi & planitie, & magnitudine impar. Cæterùm præſtantior huius artis forma, & ornatus, pulchritudoque maior eſt, quàm vt paucis narrari poſſit. Quòd ſi quid prætermiſimus, admiratione rerum in ſe rapientium animum, eſt effectum. Sed &, quæ pro magnitudine explicari non poterant, ea relinquere ſatius eſt viſum.

THESIS.

Θέσις.

THeſis, id eſt, conſultatio, eſt rei alicuius inueſtigandæ per orationem conſyderatio, vel diſquiſitio. Conſultationum autem aliæ ciuiles ſunt, aliæ contemplatiuæ. Ciuiles ſunt, quæ actionem habent ciuitati accommodatam, velut: an ducenda ſit vxor, an nauigandum, an muri faciendi. His enim omnibus ciuitatis ſtatus continetur. Contemplatiuæ verò, quæ ad ſolam animi conſyderationem pertinent, videlicet: An globoſum cœlum, an multi ſint mundi. Hæc enim in vſum hominibus non veniunt, ſed mente ſola peruidentur. Differt autem conſultatio ab Hypotheſi, id eſt, cauſa, quòd Cauſa definita eſt, Conſultatio verò indefinita. Definitio autem fit perſona, re, cauſa & reliquis, vt, muri ſuntne faciendi: perquiſitio eſt ſine perſona.

Quòd

Quòd autem inuadentibus Perſis Lacedæmonij conſulunt, muro Spartam circundare, cauſa eſt. Perſonam enim habet, Lacedæmonios deliberantes: Rem, murum Spartę addere. Cauſſam verò, inuadentes Perſas Prima autem omnium præexercitamentorum conſultatio contra dictionem, & ſolutionem ſecundum quæſtionem admittit. Diuiditur ergo Theſis primùm in Ephodum, id eſt, in prooemion, ex directo ad narrationem tendens, quem aggreſſum prooemij loco pones. Hinc finalibus vteris capitibus, legitimo, iuſto, vtili, & poſſibili.

Theſis, an ducenda vxor.

Aggreßus vice, Prooemij.

SI quiſquam omnia pariter laudare volet, is mihi matrimonium laudet: demiſſum enim ex cœlo eſt ipſumque rurſum cœlum Deis impleuit, eoſque procreauit, quorum munere paternum hominibus tribuitur nomen: eiſdemque, quos progenuit, dedit rerum naturam tuendam. In terras autem acceptam, reliquis omnibus originem dedit, quæque ſingula natura ſua fluxa caducaque erant, ea ſtabiliuit poſteritate, æternitatemque ipſis ſucceſſione adinuenit. Primùm autem maximè ad fortitudinem, ſubeundaque conſtanter pericula homines impellit. Quis enim vxorem liberoſque defendere, quis pro iis bella mouere recuſat? quo fit vt, cùm eorum amore arma ſumantur, maioribus certetur animis, lubentiusque Martis ſubeatur euentus. Quin iuſtos etiam, nedum fortes homines efficit. Cognationem enim, neceſſitudines, iuraque tribuit, quorum reſpectu metuque ab inferenda iniuria homines coercet, itaque iuſtitiam ſimul docet cum fortitudine. Sed & ſapientes facit, quippe quibus chariſſimorum pignorum inijcit prouidentiam atque curam: quodque maximè quis miretur, ipſam temperantiam ſecum adfert matrimonium, & in medijs voluptatibus modeſtiæ quoque inuenit locum: legem enim libidinibus præſcribens, temperantiæ fine voluptates coercet: quæque ipſa per ſe accuſatur voluptas, eam matrimonio coniunctam laudamus. Si ergo matrimonium Deos dedit, & procreando poſteritatem omnem firmat, ſi fortes item, iuſtoſque facit, & ſapientes præſtat, & temperãtes, quis eſt, qui non pro virili, quatenus poſſit, ipſum ſibi putabit laudãdum?

Contradictio.

Sanè inquit, ſed calamitatum multarum matrimonium eſt cauſſa.

Solutio.

Fortunam mihi videris, non matrimonium, accuſare. Quæ enim aduerſa homi-

hominibus accidunt, eorum fortuna eſt cauſſa, non matrimonium. At contrà quæ læta matrimonium tribuit, ea certè nequaquam fortunæ accepta poſſunt referri. Rectius ergo eſt, matrimonij bona laudare, quàm accuſare mala, quæ ex ipſa afferuntur fortuna. Iam verò ſi quis maximè humanorum caſuum aduerſa volet matrimonio aſſignare, nihilo tamen idcircò magis fugiendum erit. Num ſi qua reliquis in rebus nos offendunt, ea continuò nos ab ipſarum cura deterrebunt? Agendum ſingulas excutiamus artes: omnes habent aliquid quod quis accuſet. Agricolæ procellis infeſtantur, et per grandinem fame contabeſcunt, non tamen, ſi quos tempeſtas offendit, ideo ſtatim agros relinquunt, ſed perſeuerant colere. Neque nautæ, ſi quid ex cœlo accidit ipſis, continuò poſt tempeſtatem diſſoluunt naues, ceſſantque nauigare deinceps metu eorum, quæ pertulerunt, verùm difficultates fortunæ tribuentes, ad opes, quas mari parauerunt, reuertuntur. Bella etiam pugnęq; militantium abſumunt vitam: non, quia occumbunt aliqui, idcirco deſerunt militiam, ſed, quia pugnātes ob fortitudinem laudantur, hoc ipſo etiam, quòd ceciderunt, gaudent, & inſtantem fortunæ aſperitatem præſenti gloriæ bono rependunt. Neq; enim propter mala meliora fugienda ſunt, ſed bonorum cauſſa etiam aſperrima perferrenda. Nonne ergo abſurdum eſt, agricolas, nautas, item & milites difficultates meliorum gratia tolerare, matrimonium verò nobis aduerſandum putare, quia habeat aliquid quod offendat.

Contradictio.

Sanè, inquit, ſed viduitatem mulieribus, puerisq; orbitatem affert.

Solutio.

Mortis hæc mala ſunt, hancque nobis difficultatem circundedit natura, quā tu quidem accuſare mihi videris, quòd non homines effecit, vt Dij eſſent: accuſareque matrimonium, quòd non Dijs mortales coniunxit. Quid inſimulas matrimonium eorum, quorum eſt apud mortem cauſſa? Cur nuptiarum dicis, quòd ipſius eſt naturę? patere perire eum, qui natus eſt, quocunque tandē aperte modo. Quod ſi occidunt homines, qui nati ſunt, eademque via coniugem viduam relinquunt, natoſque ex ſe filios faciunt pupillos, cur hæc matrimonij dices culpa fieri, quę ſolum ab ipſa fiunt natura? At ego econtrario orbitatem, viduitatemque puto matrimoniò reſarciri. Mortuus eſt illi pater, eoq; nomine pupillus eſt, reddit rurſus alium ſibi matrimonium patrem. Itaque hoc malum non ex matrimonio prodit, ſed matrimonio occultatur, ſitq; matrimoninm non cauſa orbitatis, ſed abſcondit potius ipſam, & reſtaurat. Sic viduitatem quoque, quam obitu mariti attulit natura, matrimonium nouis iterum nuptijs immuat. quam enim mors reliquit viduam, hanc rurſus matrimonium viro coniungit: atque, velut conſeruator numeris ſui, ea, quę dedit initio, ablata quoque reſtituit. Auferre ergo viduitatem ſolet matrimonium, non fa-

non facere:Pater quoq; morte liberis orbatur,rurſumq; alios matrimonio aſſequitur,fitque ſecundo matrimonij munere pater, cui id, quod ſemel iam habuerat paternum nomen,erat ablatum.Quid ergo matrimonij bona in crimen ipſius conuertis? Videris mihi non arguere, ſed laudare nuptias velle. Quando enim enumerare nuptiarum bona cogis, laudator matrimonij factus es potius,quàm reprehenſor: vituperanſque matrimonium,vt recenſeamus laudes ipſius,adducis,cauſamque præbes, munera ſua recognoſcendi nobis,eo ipſo,quòd crimina tua refutamus.

Contradictio.

Eſto,inquit,ſed laborioſa tamen res eſt matrimonium.

Solutio.

Verum,ſed labores quoque matrimonium ſoluit,& auferuntur per nuptias quæcunque exercitos homines reddunt. Vitæ tranquillitas eſt cum muliere ſociari:quantulum autem virum in thalamo vxori coniungi?Iam quanta cum voluptate puer expectatur, ſperatuſque ſe profert, & in lucem prodiens,mox patrem appellat. Addicitur deinde arti alicui diſcendæ,patriſque fit laborum particeps. In concionibus exinde verſatur, paſcitque in ſenecta patrem, & prorſus id quodcunque res ipſa propoſcerit aptum ſe expeditumque præbet.

Epilogus.

Adeò non eſt oratione recenſere, quanta matrimonium adferat bona. Ingens ergo res eſt matrimonium, & Deos procreans, & mortalibus,vt Dij eſſe videantur,ſucceſſione preſtans.Ac omneis,qui nuptijs initiantur, inſtituit, vt iuſtitiam colant,temperantiam obſeruent,quin & reprehenſas alioqui voluptates honeſtas facit. Idcirco plurimi faciendum eſſe mamatrimonium, inter omnes facile conſtat.

LEGISLATIO.

ΕἸΣΦΟΡΆ.

Legis quoque inductionem, quidam Exercitamentum eſſe putauerunt.Eſt enim propemodum tota cauſa,non tamen omnia, quæ in cauſſa ſunt,intra ſe continens.Adfert perſonam quidem,ſed incertam,& non omnibus notam,vnde & in conſultationis magis eſt parte,quàm cau-

ſæ. Quatenus enim figuram in ſe habet perſonæ, ſuperat conſultationem, ſed quâ definitionem non habet, minor eſt cauſſa. Eſt autem duplex Legis inductio, Confirmatio poſitæ legis, atque Confutatio. Lex autem eſt inuentio, & donum Deorum, communis conſtitutio ciuitatis, & correctio vtrinque erratorum. Diuiſio autem inducendę legis eſt iſta. Tractabis eam capitibus eiſdem, quibus negocialem: Legitimo, Iuſto, Vtili, Poſſibili, Procemion facies, poſt Procemion ſubijcies contrarium, hinc capitibus prædictis vteris · vnde & hoc exercitamentum à cauſſa differt.

EXEMPLVM.

Accuſatio Legis iubentis Adulterum in ipſo adulterio deprehenſum interfici.

PROOEMION.

NEc mihi videtur per omnia lex iſta laudanda, nec rurſus ea, quę ſcripta, prorſus reprehendenda crediderim. Quod enim pœnam adulterijs decernit, laudo planè; quòd verò Iudicum ſententiam non expectat, culpandum certè videtur. Si namque largitionis metu, ne qua Iudices corrumpantur, iudicia præuenit, ſuſpicax nimirum eſt & iniquæ nimium erga Iudices mentis: ſin autem iuſta iudicare vos, quemadmodum facitis certè, arbitratur, iniquum eſſe conſtat, ſi lex Iudices quidem laudet, tollat autem iudicandi poteſtatem.

Contrarium.

Aliæ ſanè leges, quæcúnque demum eæ ſunt, & quacunque ratione perlatę, diſcrepāt, fortè ab alienę ciuitatis legibus, ſed & alterius rurſum legibus conueniunt, hæc autem ſola lex omnibus ſimul repugnat ciuitatum inſtitutis: Videmini autem mihi multò rectius de hac lege cogniturí, ſi omia recenſeatis conſulta veſtra, atque decreta. Duces bellorum, Sacerdotia, Plebiſcita, omniaque adeò, quæ circa rem militarem pertinent, Iudicum ſubeunt diligentiam, fitque dux ille, quem Iudex conſtitu it, ſacrificat qui iudici videtur, iuſtumque decretum eſt, quod populi ſentētia perrogatum eſt. Victores quoque præmia non accipiunt bellorum, niſi iudicata. Quomodo ergo non abſurdum eſt, omnia iudiciorum arbitrium expectare, ſolam verò pręſentē legem Iudicum ſubterfugere cognitionem?

Contradictio.

Sanè, inquit, Sed magnæ ſunt mœchorum iniuriæ.

Solu-

Digitized by Google

Solutio.

Quid autem? homi cidarum ſcelera nonne ſunt grauiora? an ne proditores alijs ſceleſtis minores arbitramur? an ne ſacrilegi proditoribus peiores ſunt? Attamen in his criminibus deprehenſus Iudicum examini ſubiacet, neque proditor pœnas dat,niſi decernente Iudice:neque perimitur ſicarius,niſi eo,qui accuſat,coarguente delictum: neque , qui numinibus dicata præripuerunt , puniuntur , antequam Iudex admiſſum cognouerit ſcelus.Nonne ergo iniquum eſt,maiora Iudicum vindictę reſeruari,neque quicquam eorum criminis loco,niſi Iudici liqueat,æſtimari, ſolum autem adulterum ſine cognitione interfici? quem in primis , quia leuior in eo, quàm in cæteris,culpa eſt,Iudicum examini ſubijcere oportuit.

Contradictio.

At quid refert , inquit , occidam adulterum,an Iudicibus tradam,ſi vtraque via morte pœnas luet?

Solutio.

Quantum inter Tyrannum ac legem,inter popularem ſtatum, ac vnius principatum differt,tantum iſta inter ſe diuerſa ſunt:Tyrannus enim vnũquenque pro libidine ſua perimit;leges autem conuictum iuſtè occidunt. Et populus diſceptatione omnia:atquę contẽtione tractat,quo ſint explicatiora omnia : at rerum dominus etiam indicta cauſſa occidit. Contrà, populus & lex indicta cauſſa non occidit:ſed omnia ab rerum Dominis & Tyrannis diuerſa facit. Quid ergo? multum ne intererit occidere adulterum, & Iudicum ſententijs puniendum tradere? Ad hæc quoque, qui per ſe adulterũ occidit,ſe ipsũ arbitrũ pœnę admiſſi ſceleris facit: qui verò Iudicibus tradit ipſum,penes illos vult eſſe poteſtatem , iuſque animaduertendi. Neminem igitur dubitare crediderim,quin æquius ſit,eius,qni accuſatur , arbitrium eſſe apud Iudicem , quàm apud accuſatorem. Quin etiam,qui ſuo arbitratu adulterum occidit , alterius rei gratia occidere ipſum aduerſum ſe ſuſpicionem relinquit : at qui iudicio exhibet, ſolùm iuſta ſectari, præſentiſque ſceleris dolorem videbitur vlciſci.

Contradictio.

Eſto , inquit ,ſed grauiores dabit pœnas ſubitò peremptus; quoniam ſi ad Iudices deferretur, illam temporis intercapedinem pro lucro haberet.

Solu-

Digitized by Google

Solutio.

At contrà porrò habebit,ſi Iudicibus ſubijcietur. Etenim Iudicio deſtinatus acerbiorem vitam exiget. Nam qui pœnam expectat,grauiora ſupplicia,quàm ſi illam fuiſſet illico paſſus,ſentit.Quippe pœnę dilatio pœnæ videbitur additio;morieturque ſæpe, qui iam pro mortuo habitus eſt,expectationemque ſuſtinebit morte duriorem. Atqui occiſus de improuiſo adulter, non dolet, ſenſumque mortis pœnæ celeritas aufert; inſenſibilis enim eſt exitus,qui antequam expectetur,congit.Mors autem ſæpius expectata,poſtquam ſemel illata, pœnas expectatione adauget. Age verò,ſi libet,conſydera hæc, conferque inuicem. Ille per ſe ipſum occidit adulterum, nullumque facit vltionis ſuæ teſtem, alius Iudicibus tradit,multoſque adhibet ſupplicio ſpectatores, acerbior haud dubiè vltionis modus, quicunque eſt oculis plurimum ſubiectus. Et optabilius alioqui adulteris vtcunque fuerit occultè perire, opinionem apud pleroſque relicturis, inimicitiarum cauſſa eſſe occiſos. Conuicto autem apud Iudices crimine, indubitatam iam reus, & nullis obnoxiam interpretationibus pœnam ſubibit.Itaque plurimum intereſt, adulteram occultè trucidetur, an Iudicibus tradatur afficiendus ſupplicio.

Contradictio.

Rex atrox eſt adulter omnium ſcelerum magnitudinem ſupergreſſus.

Epilogus.

Coarguatur ergo prius,hinc occidatur:iudiceturque potius,quàm pœnas ante cognitionem incerto crimine,indictaque cauſſa luat.Quòd ſi publicè necabuntur adulteri,certiorem facient procreationem, neque quiſquam cuius ſit filius deinceps dubitabit,vbi paterni nominis inſidię adulteria fuerint adempta. Itaque cùm ſit adulterium publica quædam rerum naturæ iniuria,publica quoque ſententia plectatur. Vereor enim, ne adulter ſecretò occiſus,multos poſt ſe alios relinquat. Nam quia, cur occidatur,neſcitur, eius improbè facta multi imitabuntur. Sic eiuſmodi pœna non adulterij finis,ſed exordium ęrit.

FINIS.

Digitized by Google

M. FABII QVINTILIANI

DE PRIMIS

APVD RHETOREM

EXERCITATIONIBVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

EX M. FABII QVINTILIANI INSTITVTIONVM ORATORIARVM

Libro II. Cap. IV.

De Primis Apvd Rhetorem Exercitationibvs.

Hinc iam quas primas in docendo partes Rhetorum putem, tradere incipiam: dilata parumper illa, quæ ſola vulgo vocatur arte Rhetorica. Ac mihi opportunus maxime videtur ingreſſus ab eo, cuius aliquid ſimile apud Grammaticos puer didicerit. Et quia narrationum, excepta qua in cauſis vtimur, tres accepimus ſpeies: Fabulam, quæ verſatur in tragœdijs atque carminibus, non à veritate modo, ſed etiam à forma veritatis remotam: Argumentum quod falſum, ſed veriſimile Comœdia fingunt: Hiſtoriam, in qua eſt geſta rei expoſitio: Grammaticis autem poeticas dedimus: apud Rhetorem initium ſit hiſtoria; tanto robuſtior, quanto verior. Sed narrandi quidem quæ nobis optima ratio videatur, tum demonſtrabimus, cùm de iudiciali parte dicemus. Interim admonere illud ſatis eſt, vt ſit ea neq; arida prorſus atq; ieiuna: (nam quid opus erat tantum ſtudijs laboris impendere, ſi res nudas atq; inornatas indicare ſatis videretur?) neq; rurſus ſinuoſa, & acerſitis deſcriptionibus, in quas pleriq; imitatione poeticæ licẽtiæ ducuntur, laſciuiat. Vitiũ vtrumq;. peius tamen illud, quod ex inopia, quàm quod ex copia venit. Nam in pueris oratio perfecta nec exigi, nec ſperari poteſt. Melior autem eſt indoles læta, generoſiq; conatus, & vel plura iuſto concipiens interim ſpiritus. nec vmquam me in his diſcentis annis offendat ſi quid ſuperfuerit. Quin ipſis doctoribus hoc eſſe curæ velim, vt teneras adhuc mentes more nutricũ mollius alant, & ſatiari veluti quodã iucundioris diſciplinæ cibo lactieq; patiantur. Erit illud plenius interim corpus: quod mox adulta ætas adſtringat, Hinc ſpes roboris. Maciem namque & infirmitatem in poſterum minari ſolet protinus omnibus membris expreſſus infans. Audeat hæc ætas plura, & inueniat, & inuentis gaudeat, ſint licet

illa non ſatis interim ſicca & ſeuera. Facile remedium eſt vbertatis: ſterilia nullo labore vincuntur. Illa mihi in pueris natura minimum ſpei dederit, in qua ingenium iudicio præſumitur. Materiã eſſe primum volo, vel abundantiorem, atque vltra quàm oporteat fuſam. Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid velut vſu ipſo deteretur: ſit modo vnde excidi poſſit, & quod exſcalpi. Erit autem, ſi non ab initio tenuem nimium laminam duxerimus, & quã cælatura altior rũpat. Quod me de his ætatibus ſentire min⁹ mirabitur, qui apud Ciceronem legerit, Volo enim ſe efferat in adoleſcente fœcunditas. *Quapropter in primis euitandus, & in pueris præcipuè, magiſter aridus, non minus quàm teneris adhuc plantis ſiccum & ſine humore vllo ſolum. Inde fiunt humiles ſtatim, & velut terram ſpectantes, qui nihil ſupra quotidianum ſermonẽ attollere audeant. Macies illis pro ſanitate, & iudicij loco infirmitas eſt: & dum ſatis putant vitio carere, in id ipſum incidunt vitium, quòd virtutibus carẽt. Quare mihi, ne maturitas quidẽ ipſa feſtinet, nec muſta in lacu ſtatim auſtera ſint: ſic & annos ferẽt, & vetuſtate proficient. Ne illud quidem, quod admoneamus indignum eſt, ingenia puerorum nimia interim emendationis ſeueritate deficere. nam & deſperant, & dolent, & nouiſſime oderunt: & quod maximè nocet, dum in teneris ita timent, nihil conantur. Quod etiam ruſticis notum eſt, qui frondibus teneris non putant adhibendam eſſe falcem, quia reformidare ferrum videntur, & nondum cicatricem pati poſſe. Iucundus ergo tum maxime debet eſſe præceptor, vt remedia, quæ alioqui natura ſunt aſpera, molli manu leniantur: laudare aliqua, ferre quædam, mutare etiam, reddita cur id fiat ratione: illuminare, interponendo aliquid ſui. Nonnunquam hoc quoque erit vtile, totas ipſum dictare materias, quas & imitetur puer, & interim tamquam ſuas amet. At ſi tam negligens ei ſtylus fuerit, vt emendationem non recipiat, expertus ſum prodeſſe, quoties eandem materiã rurſus à me retractatã, ſcribere de integro iuberẽ. poſſe enĩ eum adhuc melius, quatenus nullo magis ſtudia quàm ſpe gaudent: Aliter autẽ alia ætas emendanda eſt, & pro modo virium & exigendum & corrigendum opus. Solebam ego dicere pueris aliquid auſis licẽtius aut lætius, laudare illud me adhuc, venturum tempus, quo idem non permitterem. Ita & ingenio gaudebant, & iudicio non fal-*

le-

Digitized by Google

lebantur. Sed vt eò reuertar vnde ſum egreſſus: Narrationes ſtylo componi quanta maxima poſſit adhibita diligentia, volo. Nam vt primo cum ſermo inſtituitur, dicere quæ audierint, vtile eſt pueris ad loquendi facultatem. Ideoque & retro agere expoſitionem, & à media in vtramque partem diſcurrere ſanè meritò cogantur. ſed ad præceptoris gremium, & dum aliud non poſſunt, & dum res ac verba connectere incipiunt, vt protinus memoriam firment ita cum iam formam rectæ atque emendatæ orationis accipient; extemporalis garrulitas, nec expectata cogitatio, & vix ſurgendi mora, circulatorię verè iactationis eſt. Hinc parentum imperitorum inane gaudium, ipſi verò contemptus operis, & inuerecunda frons, & conſuetudo peſſimè dicendi, & malorum exercitatio, &, quæ magnos quoque profectus frequenter perdidit, arrogans de ſe perſuaſio innaſcitur. Erit ſuum parandæ facilitati tempus, nec à nobis negligenter locus iſte tranſibitur. Interim ſatis eſt, ſi puer omni cura, & ſummo, quantum ætas illa capit, labore aliquid probabile ſcripſerit: in hoc aſſueſcat huius rei naturam ſibi faciat. Ille demum in id, quod quærimus aut ei proximum poterit euadere, qui ante diſcet rectè dicere, quàm citò. Narrationibus non inutiliter ſubiungitur opus deſtruendi confirmandique eas: quod ἀνασκευὴν & κατασκευὴν vocatur. Id porrò non tantum in fabuloſis & carmine traditis fieri poteſt, verùm etiam in ipſis Annalium monumentis. Vt ſi quæritur, an ſit credibile, ſuper caput Valerij pugnantis ſediſſe coruum; qui os oculoſq; hoſtis Galli roſtro atque alis euerberaret: ſit in vtramq; partem ingens ad dicendum materia. Vt de ſerpente, quo Scipio traditur genitus, & lupa Romuli, & Egeria Numæ. Nam Græcis hiſtoricis plerumque poeticæ ſimilis eſt licentia. Sæpe etiam quæri ſolet de tempore, de loco, quo geſta res dicitur. Nonnunquam de perſona quoque. ſicut Liuius frequentiſſimè dubitat, & alij ab alijs hiſtoricis diſſentiunt. Inde paulatim ad maiora tendere incipiet: laudare claros viros, & vituperare improbos: quod non ſimplicis vtilitatis opus eſt. Namque & ingenium exercetur multiplici variaque materia, & animus contemplatione recti prauiq; formatur, & multa inde cognitio rerum venit exempliſq;, quæ ſunt in omni cauſarũ genere potentiſſimi, iam tum inſtruitur, cùm res poſcet, vſurus. Hinc illa quoque exercita-

tio

tio ſubit comparationis, vter melior, vterue deterior. Quæ quamquam verſatur in ratione ſimili, tamen & duplicat materiam, & virtutem vitiorumq́; non tantum naturam, ſed etiam modum tractat. Verùm de ordine laudis, contraq́;, quoniam tertia Rhetorices pars eſt: præcipiemus ſuo tempore. Communes loci (de ijs loquor, quibus citra perſonas in ipſa vitia moris eſt perorare, vt in adulterum, aleatorem, petulantem) ex medio ſunt iudicijs. & ſi reum adijcias, accuſationes. quanquam hi quoque ab illo generali tractatu ad quaſdam deduci ſpecies ſolent. Vt ſi ponatur adulter cæcus, aleator pauper, petulans ſenex. Habent autem nonnunquam etiam defenſionem. Nam & pro luxuria, & pro amore dicimus, & leno interim paraſituſq́; dēfenditur: ſicut non homini patrocinemur, ſed crimini. Theſes autem, quæ ſumuntur ex rerum comparatione, vt, ruſticana vita an vrbana potior, Iuriſperiti an militaris viri laus maior, miræ ſunt ad exercitationem dicendi ſpecioſæ atque vberes: quæ vel ad ſuadendi officium. vel etiam ad iudicium diſceptationemq́; iuuant plurimum. Nam poſterior ex prædictis locus, in cauſa Murenæ copioſiſſimè à Cicerone tractatur. Sunt & illæ penè totæ ad deliberatiuū pertinentes genus, ducendane vxor. petendi ne ſint magiſtratus. Namque hæ perſonis modo abiectis ſuaſorię erunt. Solebant præceptores mei, neque inutili & nobis etiam iucundo genere exercitationis, præparare nos coniecturalibus cauſis, cùm quærere atque exequi iuberent, cur armata apud Lacedæmonios Venus: & quid ita crederetur Cupido puer, ac volucer, & ſagittis ac face armatus, & ſimilia: in quibus ſcrutabamur voluntatem, cuius in controuerſiis frequens quęſtio eſt. quod genus Chriæ videri poteſt. Nam locos quidem, quales ſunt de teſtibus, ſemper ne his credendum, & de argumentis, an habenda etiam paruis fides, adeò manifeſtum eſt ad forenſes actiones pertinere, vt quidam nec ignobiles in officijs ciuilibus ſcriptos eos, memoriæq́; diligentiſſimè mandatos, in promptu habuerint. vt quoties eſſet occaſio, extemporales eorum dictiones his velut emblematis exornarentur. Quo quidem (nec enim eius rei iudicium differre ſuſtineo) ſummam videbantur mihi infirmitatem de ſe confiteri. Nam quid hi poſſint in cauſis, quarum varia ac noua ſemper eſt facies, proprium inuenire, quomodo propoſitis ex parte diuerſa reſpondere, altercationibus velociter occurrere, teſtem rogare,

qui

Digitized by Google

qui etiam in ijs, quæ ſunt communia, & in plurimis cauſis tractantur, vulgatiſſimos ſenſus verbis niſi tanto ante preparatis, proſequi nequeant? Neceſſe eſt his, cum eadem iudicijs pluribus dicunt, aut faſtidium moueant, velut frigidi & repoſiti cibi: aut pudorem deprehenſa toties audientium memoria infelix ſupellex: quæ, ſicut apud pauperes ambitioſos, pluribus & diuerſis officijs conteratur: cum eo quidem, quod vix vllus eſt tam communis locus, qui poſſit cohærere cum cauſa, niſi aliquo propriæ quæſtionis vinculo copulatus: appareat: atq; eũ nõ tã inſertũ, quàm applicitũ. Vel quòd diſſimilis eſt cæteris, vel quòd plerũq; aſſumi etiã parũ aptè ſolet, nõ quia deſideratur, ſed quia parat⁹ eſt: vt quidã ſentẽntiarũ gratia verboſiſſimos locos arceſſũt, cùm ex locis debeat naſci ſẽtẽtia. Ita ſunt autẽ ſpecioſa hæc & vtilia, ſi oriuntur ex cauſa. Cæterum quamlibet pulchra locutio, niſi ad victoriam tendit, vtique ſupernacua, ſed interim etiam contraria eſt. Verum hactenus euagari ſatis fuerit. Legum laus & vituperatio iam maiores ac prope ſummis operibus ſuffecturus vires deſiderant: quæ quidem Suaſorijs magis an Controuerſiis accommdata ſit exercitatio, conſuetudine & iure ciuitatum differt. Apud Græcos enim lator earum ad iudicem vocabatur: Romanis pro concione ſuadere ac diſſuadere moris fuit. Vtroque autem modo pauca de his, & fere certa dicuntur. Nam genera ſunt tria: Sacri, Publici, & Priuati Iuris. *Quæ diuiſio ad laudem magis ſpectat, ſi quis eam per gradus augeat. quòd Lex quòd Publica, quòd ad religionem Deum comparata ſit. Ea quidem de rebus quæri ſolet, communia omnibus. Aut enim de iure dubitari poteſt eius, qui rogat. Vt de P. Clodij qui non ritè creatus Tribunus arguebatur. Aut de ipſius rogationis, quod eſt varium, ſiue non trino forte nundino promulgata, ſiue non idoneo die, ſiue contra interceſſiones vel auſpicia, aliudue quid, quod legitimè obſtet, dicitur lata eſſe vel ferri, ſiue alicui manentium legum repugnare. Sed hæc ad illas primas exercitationes non pertinent. Nam ſunt hæ citra complexum Perſonarum, Temporum, Cauſarũ. Reliqua eadem ferè verò fictoq; certamine huiuſmodi tractantur. Nam vitium aut in verbis eſt, aut in rebus. In verbis quæritur, an ſatis ſignificent, an ſit in his aliquid ambiguum. In rebus, an lex ſibi ipſa conſentiat, an in populum ferri debeat, an in ſingulos homines? Maxime verò commune eſt quærere, an ſit honeſta,*

Digitized by Google

an vtilis? Nec ignoro plures fieri à pleriſque patres: ſed nos iuſtum, pium, religioſum, cæteraque his ſimilia, honeſto complectimur. Iuſti tamen ſpecies non ſimpliciter excuti ſolet. Aut enim de re ipſa quæritur, vt dignane pœna, vel præmio ſit? Aut de modo prę mij, pœnaue, qui tam maior quàm minor culpari poteſt. Vtilitas quoque interim natura diſcernitur, interim tempore. Quædam an obtineri poſſint, ambigi ſolet. Ne illud quidem ignorare oportet, leges aliquando totas, aliquando ex parte reprehendi ſolere: cùm exemplum rei vtriuſque nobis claris orationibus præbeatur. Nec me fallit, eas quoq; leges eſſe, quæ non in perpetuum rogentur, ſed de honoribus aut imperijs. qualis Maniliæ fuit, de qua Ciceronis oratio eſt. Sed de his nihil hoc loco pręcipi poteſt. Conſtant enim propria rerum de quibus agitur, non communi qualitate. His ferè veteres facultatem dicendi exercuerunt; aſſumpta tamen à dialecticis argumentandi ratione. Nam fictas ad imitationem fori conſiliorumq; materias apud Græcos dicere, circa Demetrium Phalereum inſtitutum ferè conſtat. An ab ipſo id genus exercitationis ſit inuentum (vt alio quoque libro ſum confeſſus) parum comperi: ſed ne ij quidem, qui hoc fortiſſimè affirmant, vllo ſatis idoneo authore nituntur. Latinos verò dicendi præceptores extremis L. Craſſi temporibus cœpiſſe, Cicero author eſt: quorum inſignis maximè Plotius fuit.

FINIS.

Digitized by Google

THEONIS SOPHISTÆ PROGYMNASMATA.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONTENTA.

1 De Edvcanda Adolescentia, Deqve Vsv Primarvm Apvd Veteres Exercitationvm.

2 De Fabvla.

3 De Narratione.

4 De Chria.

5 De Destrvctione, Et Assertione.

6 De Loco Commvni.

7 De Lavdatione.

8 De Comparatione.

9 De Prosopopoeia, Qvam Conformationem Dixere.

10 De Descriptione.

11 De Thesi.

12 De Legibvs.

Digitized by Google

Digitized by Google

THEONIS SOPHISTÆ, PRIMÆ APVD RHETORES EXERCITATIONES.

CAP. PRIMVM.

VEteres dicendi magiſtri, & in primis celebres hac laude, neminem debere vlla ratione ad dicendi ſtudium conferre ſe exiſtimarunt, niſi qui philoſophiam attigiſſet prius, atque ex ea magnis cogitationibus impleſſet animum. At nunc magna pars tantum abeſt, vt cognoſcere hæc velint, vt prius quàm liberalium diſciplinarum orbem quem vocant, leuiter tetigerint, ad dicendum proſiliant. quodque in primis barbarum eſt imparati etiam à neceſſarijs exercitationibus, cauſas in foro coramque populo agere geſtiant: figulinam, vt prouerbio dicitur, ordientes diſcere de dolio. Ac cętera quidē, quæ cognoſcenda, ei qui dicendo operam daturus eſt, exponēda alijs relinquimus. Quæ verò ſcire, & in quibus exerceri neceſſe fuerit, antequã ad cauſas perueniam⁹, ea nũc tradere conabimur. nõ quia nihil extet his de rebus ſcriptũ ab alijs, ſed quia me quoque non paruũ adiumentũ in dicendo ſtudioſis allaturum cõfido. Pręterquam enim quod ijs, quę ab alijs tradita sũt exercitijs quędã addidimus, definitionē quoq; ſingulis adiecimus. Vt interrogatus quid quodque horum ſit, reſpondere poſſit. Vt exẽpli cauſa, Fabulã eſſe narrationē fictam, veritatis imaginem repręsētantem. Pręterea & quo quicq; ab altero differat, oſtendimus: quid de ſingulis item dici poſſit, tradidimus. quin & accuratũ illorum vſum demonſtrauimus. Hæc autem quin mirificè cõducant facultatis rhetoricæ ſtudioſis, non ſanè dubium eſſe poteſt. Nam ſi quis ſciat elegãter & variè Narrationē fictã & Fabulam pertexere, præclarè iam & hiſtoriã, & eas, quas propriè Narrationes vocant, in cauſis cõponere poterit. Quid enim eſt hiſtoria aliud, quã plures, quæ iũgũtur Narrationes? Quòd ſi quis & cõprobare & refellere illa potuerit, is nõ lõgè à cauſarũ actionibus aberit. Quicquid enim in iudicialib⁹ cauſis fit, id vniuersũ & in his eſt. Primũ Exordiũ & Narratio. Deinde & ſingulis quę in vnaquaq; Narratione aut Fabula expoſita fuerũt, occurrere, ac refutationē ſingulis opponere conamur. Etiã hoc ſtudemus, ſingula vt ordine collocētur argumenta. Deinde & augem⁹, & eleuam⁹, aliaq; quæ in præsētia cõmemorare lõgũ fuerit, pręſtam⁹. Iã Chriæ exercitatio, nõ ad facultatē modo orationis cõparandam multũ cõfert, ſed moribus cõducit: cùm in veterum ſapientum exercemur dictis. Iã cõmunis loc⁹ & deſcriptio, manifeſtam habent vtilitatē. cùm vbiq; veteres hiſtorici quidem omnes plurimis deſcriptionibus, oratores autē locis cõmunibus ſunt vſi, Proſopopœia autē, non modò hi-

ſto-

ſtoricũ,ſed & oratoriũ,& ſermonibus idoneum & poeticum eſt exercitiũ. Quin etiã ad quotidianã vitã, & congreſſus mutuos haud parũ cõducit. ſed & fructuoſiſſima huius in veterũ authorũ ſcriptis verſaturo eſt cognitio.Ideoq; & maximè Homerũ cõmendamus, quòd conuenientẽ ſingulis quas introduxit perſonis tribuit ſermonẽ: Euripidẽ verò vituperare ſolemus,quòd intempeſtiuiùs apud illũ philoſophetur Hecuba. Cõparationis autẽ exercitiũ, & ad iudiciales cõfert cauſas,vbi aut benefacta cum benefactis,aut malefacta cũ malefactis cõparantur. Itẽq; cùm in laudationib⁹ præclara inter ſe facinora cõferuntur. In deliberationibus certè planè euidens illius eſt vtilitas.Deliberatiũ enim omnis in eo,quod magis cõducere videtur,verſatur oratio. Nam de Theſi, ſiue vniuerſali quæſtione quid dicemus? Nihil enim inter hanc & definitã,ſiue hypotheſin, intereſt, niſi quòd neq; certis perſonis, neq; locis,neq; tẽporibus, neq; modo, neq; ratione ſit definita. Exẽpli cauſa, theſis erit;*Vtrum obſeſſis extra ditionẽ copiæ mittendæ ſint. Vtrum verò Atheniẽſibus, à Peloponneſiis obſeſſis, in Siciliam mittendus ſit exercitus*,erit hypotheſis. Similiter & legũ accuſatio atq; defẽſio,nõ minima pars cauſæ eſt,ſiue hypotheſeos.Proinde orationes illæ publicæ pro elegãtiſſimis habẽtur, quæ de legibus aut plebiſcitis diſceptationẽ cõtinẽt.qualis illa de Corona,& cõtra Androtionẽ,& Timocratẽ,& Ariſtocratẽ.parum enim refert,quòd nõ legẽ,ſed plebiſcitũ promulgauit Ariſtocrates. Verũ huiuſmodi laudationes,gen⁹ quoddã eſſe cauſarũ ne me quidẽ fugit. Sũt enim cauſarũ tria genera.Laudatorium;id quod Demõſtratiuũ vocatur à Peripateticis: Iudiciale,& Deliberatiuum.Porrò quoniã iuuinoibus quoq; proponere ſæpenumero ſolemus,vt laudationes ſcribãt.ideo & inter primas his exercitationes locũ dedi. ita tamẽ,vt accuratã & ex arte tractationẽ in idoneũ reiecerim locũ. Nam vt quidã ex antiquis,Apolloni⁹,ni fallor,Rhodi⁹,dicit,Sermonis alimentum eſt lectio. Fit enim,vt vbi animũ præclaris formauim⁹ exẽplis, optimè quoq; imitemur.Quis autẽ eſt,qui nõ ſaltẽ audire alios libẽter velit: vt ea quæ cũ magno labore perfecerũt alij,vltrò admittat?Sed quẽadmodũ picturę ſtudioſis nihil profuerit cognouiſſe Apellis,Protogenis,& Antiphili tabulas,niſi & ipſi pingere tẽtarint:ita & eloquẽtiæ operam daturis, neque copia ſenſuum,neque puritas ſemonis,neq; cõpoſitionis cõcinnitas,neque audiuiſſe præclara,nihil denique bonorum omnium, quæ Rhetorica cõplectitur, vtile eſſe poterit,niſi quiſq; & ipſe quotidie ſcribẽdo ſeſe exerceat. Neque ſanè eſt,vt quibuſdam placuit,paraphraſis inutilis:ſemel enim, non bis inquiunt,bene aliquid effere datum. Quia verò longè aberrant. Cùm enim non vno modo ab eadem re moueatur cogitatio, neque imaginationem, quæ offertur, vno ſed diuerſis admittat modis, & interdum vel affirmemus,vel interrogemus,vel ſciſcitemur, vel optemus,aut alio denique modo,quod ante concepim⁹ efferamus;nihil vetat, quo minus æquali modo, quod conceptũ eſt,rectè exprimam⁹.Huius rei teſtimonia ſũt & in poetis, & hiſtoricis: omnes deniq; veteres egregiè paraphraſi ſunt vſi: non vt ſua

mo-

Digitized by Google

modò, ſed & aliena transforment. Sic Homerum interpretatus Archilocus,qui,quod ille dixit,

Namque ea mens cuique eſt,hominum pater atque Deorum.
Quam format,cunctoſque iubet pro tempore habere.

ita extulit:

Talis hominibus enim
Animus ineſt,ò Glauce Leptina ſate,
Mortalibus, qualem indies deus excitat.

Et rurſum expugnationem vrbis ita Homerus deſcripſit:

Cæduntur q; viri, & fl amma vis opprimit vrbem.
At natos alij abducunt,nuptaſque pudicas.

Demoſtenes verò hoc modo: *Cùm itaque Delphos peteremus,cogebamur hæc intueri omnia. dirutas ædes, euerſos muros, regionem iuuentute deſertam: paucas autem mulierculas, atque ſenes quoſdam miſerabiles.*

Æſchines autem ſic: *At vos animis ſaltem aſpicite, vobiſque calamitates illorum proponite,vrbem capi,dirui muros, inflammari domos, ſpoliari templa. rapi matres ac liberos in ſeruitutem, ſenes denique anuſque,quæ tum ſerò libertatem dediſcunt.* Item Thucydides ait: *In vita viget inter æmulos inuidia, id autem quod è medio ſublatum eſt,contentione omni liberatum,beneuolontia non æmula colitur.* Theopompus verò,*Satis enim ſcio in vi: en es à multis acerbè.* inquit, *inquiri; mortuis verò quia longum tempus interceſſit, remitti inuidiam conſue uiſſe.* Demoſthenes ita: *Quis enim hoc omnium mortalium neſcit, cunctos,qui viuunt,aliquam,ſiue maiorem, ſiue minorem comitari inuidiam. Mortuos verò ne inimicorum quidem amplius quiſquam odio proſequitur.* Quin etiam Philiſtus, bellum Atallicnſe totum in hiſtoria Sicula, de Thucydidis hiſtoria traduxit. Et Demoſthenes in orationem contra Midiam, quædam Lyſiæ ac Lycurgi, ex orationibus iniuriarum, itemque quædam Iſęi ex oratione aduerſus iniuriam Diocli illatam. Eademque & in Iſocratis Panegyrico,& in Epitaphio atque Olimpico Lyſiæ poſita eſſe videas. Quin & ipſe Demoſthenes non rarò ſeſe interpretatur: non modò vt quæ alibi dixit,aliò transferat; ſed vt in eadem oratione idem ab illo dictum ſæpius inuenias. quod tamen in varietate elocutionis tanta auditores latet, In oratione contra Midiam ait:*Quem noſtrum fugit, quòd huiuſmodi multa deſignata ſint,animaduerſionis neglectionem in cauſſa eſſe? Ne quis autem in poſterum iniuriarum auctor ſit, nulla alia cauſa reperietur, niſi vt is, qui conuictus fuit debitas perſoluat pœnas.* Et in oratione contra Ariſtocratem, itidemque contra Adrotionem, *Non enim, ſi quid antè contra leges factum, tuque illud imitatus fuiſti, ideo iure abſolueris. contrà verò condemnari potius ob hæc debebis. Quemadmodnm enim ſi quis illorum condemnatus fuiſset, non iſta tu ſcripſiſses;ita vbi tu pœnam dederis,alius non ſcribet.* Ne in Philippicis quidem res eaſdem paſſim inculcare deſtitit. In oratione item in Leptinem.*Beneficij loco data auferri non opportere,*non ſemel dixit.& pro Corona, *Non æquum eſse,vt conſummatæ tantum reprehendantur, actiones,ſed in ſingu-*

las cum in Republica ſuſceptæ fuerint,tum eſse inquirendum, per totam ſparſit orationem. Quis autem neſcit quàm illa de redẽptione captiuorum, in oratione,De malè geſta legatione frequẽter repetantur? Sane elaboratio,cùm alibi tum maximè in ſecundis actionum partibus, vſum habet. At contradictio ad depulſiones valet. Verùm in his exercitijs talem ſequi nobis ordinem placuit. Primò à Chria initium ſumemus. Nam & breue hoc,& facile memoriæ mandatur. Poſt hæc Fabula ſequetur & Narratio: ſeorſim ab aſſertione & deſtructione vtraque.Hæc enim cætera debere ſequi videntur.Nam inter omnes fermè conſtat, oratoris eſſe opus,non ſolùm id, de quo dubitatur, probare, ſed & quæ probata ſunt, augere: Ac primum quidem,tum natura,tum vſu,id, quo probamus: ſecundum verò,quo augemus. Sic exempli cauſa prius de proditione aliquis eſt cõuincendus:deinde,vt in magno crimine, cum de proditione agimus,exaſperandi auditores. Verùm quia natura priorem eſſe diximus probationem, non propterea exercitationem eius priorem eſſe oportet. Imò contrà ſe res habet.priora enim ſunt facillima difficilioribus: facilius autem,augere id,quod manifeſtum eſt,quàm dubium probare. Quare nos, cum proprio Marte noſtro argumentari, & deſtruere atque aſſerere conabimur;à communi loco initium ſumemus: à quo ad deſcriptiones, atque ab eo ad proſopopœiam pergemus. Poſt has in laudationibus,tum in comparationibus nos exercebimus. Hæc enim certa ſunt, nec contradictionem admittunt. Poſt hæc autem, ne controuerſa quidem exercitia negligemus. Quorum primum eſt chriæ, deinde fabulæ alicuius Æſopicæ: deinde narrationum, cùm hiſtoricarum,tum quæ fabuloſæ,deſtructio, ac deinde theſium,tandemque legum.At lectioni, & auditioni, itemque paraphraſi,ſtatim ab initio ſtudebimus. Elaborationem verò multoq; magis contradictionem, illis temporibus reſeruabimus, quibus aliquem nos conſecutos eſſe habitum exiſtimamus.

CAP. II.

Περὶ τῆς τῶν νέων ἀγωγῆς, ἐν ᾧ καὶ περὶ τῆς παρὰ τοῖς παλαιοῖς χρήσεως τῶν Προγυμνασμάτων.

De educanda adoleſcentia, deque vſu primarum apud veteres Exercitationum.

PRimũ dãda opera præceptori eſt,ſingulorum vt exercitiorum peritus ex veterũ ſcriptis collecta adoleſcentibus ſuis proponat exempla:atq; illa iubeat ediſci.Vt Chriæ, qualis apud Platonẽ primo libro de Republica exẽplũ.Apud Sophoclẽ poetam quidã olim venit, &,Quod ad rem veneream(inquit)quomodo res tuæ Sophocles,ſeſe habent?vtrum ne adhuc

Digitized by Google

Frui mulieribus potes? At ille, Bona verba, mi homo, inquit. quin cupidiſſime ab his tandem me ſubduxi: neque aliter quam rabioſum aut immanem dominum profugi. Item Fabulæ: qualis eſt tibicinis apud Herodotum: & apud Philiſtum, equi. nec non apud Hecatæum, in primo & ſecundo. Itemque in vigeſimo rerum Philippi apud Theopompum libro, belli & iniuriarum; quam ibi legatis Chalcidenſium, de ſumma rerum ad ſe miſſis, narrat Philippus. Sed & Xenophontis in ſecũdo libro Dictorum memoriabilium, canis & ouium. quanquam narrationis fabuloſæ non facile elegantius reperias exemplum, quam Platonicum illud de annulo Gygis, ſecundo de Republica libro. Item de origine Amoris in Conuiuio. De rebus autem infernis in Phædone, & in decimo de Republ. & apud Theopompum in octauo rerum Philippi, de apio. Narrationis vero magis ſeriæ, apud Herodotum & Thucydidem de Cylone. & de Amphilocho ac Amphiarao, in tertio Thucydidis. deque Cleobi & Bitone, in primo Herodoti. Extat & narratio de aduentu Dædali ad Cocalum regem Sicanorum, tam apud Ephorum in ſeptimo, quam Philiſtum in primo. ſed in oratione Demoſtenis, quæ de male geſta inſcribitur legatione, de celebratis à Philippo, capta Olyntho, Olympijs, ſubtilis ac polita extat narratio. Quin & apud veteres, aſſertiones quoq; & deſtructiones, tum ſentẽtiarum, & dictorum, aliorumque huiuſmodi inuenias. Atque ad hoc genus quæ ab Ephoro XI. Hiſtoriarum libro contra veterum de Nilo opinionem diſputantur, referenda ſunt. Narrationes autem fabuloſæ quomodo ſint deſtruendæ, in ſecundo Herodoti habes, in fabella illa quam excogitarunt Græci: qui aiebant, Herculem Aegyptios, cum apud eos eſſet, Ioui ſacrificare voluiſſe. illũ autem plurima ipſorũ trucidaſſe millia. Et illa de quinquaginta Theſtiadibus, apud Ephorũ in primo. cũ quibus cũ adhuc eſſent virgines, vniuerſis ſimul, Herculẽ cõcubuiſſe exiſtimarunt: deque Ariſtodemo, quẽ fulmine ictum interijſſe dicunt. Narrationes autem ſeriæ quo pacto deſtruendæ ſint, ex Herodoto exempla quædam ſumi poſſunt, Vt in quarto. Vbi de diuiſione terræ, quarum vna Europa, altera Libya, tertia dicitur Aſia, ab eo agitur. Et ex primo Thucydidis, de interfecto à coniuratione Harmodij & Ariſtogitonis Hipparcho. Sed & plura ex alijs ſumi poſſunt hiſtoricis. Vt ex primo Ephori, Peloponneſi, cum Herculis deſcenderet poſteritas, diuiſio. & ex Theopompi XXV. libro rerum Philippi, quod falſo memoretur iusiurandum Græcorum, quod Athenienſes à Græcis ante commiſſum prælium cum Barbaris in regione Platæaica præſtitum aiunt: tum Athenienſium cum rege Dario & Græcis fœdera. Qui, ne Marathoniam quidem pugnam, aliaque, quæ glorioſe prædicare, quibuſque fucum facere Græcis ciuitas Athenienſium conſueuit, æque ab omnibus celebrari. Similiter & Locus, qui vulgo cõmunis vocatur, apud veteres reperitur. Exemplo ſit Demoſthenicum hoc in oratione pro Corona: *Nam apud Græcos, non quoſdam, ſed prorſus vniuerſos, proditorum, & inhiantium largitionibus, & dijs inuiſorum hominum, tantum extitiſſe ſcimus prouentum, &c.* Tale & Lycurgi eſt in Moſchum, in oratione contra Lycophronem: & Hyperidæ, cum in alios quoſdam, tum in oratione contra Ariſtagoram. Quibus & alios referemus

ſimiles, cum de locis tractabimus. Deſcriptiones ſunt & ipſæ crebræ. Quales in ſecundo Thucydidis, deſcriptio peſtis. & in tertio, circumuallatio Platæarum. & alibi nauale, alibi equeſtre prælium. item Platonis in Timæo, Sais. & Herodoti in ſecundo, muri ſeptem in Ecbatanis. Habemus & in nono rerum Philippi apud Theopompum, Theſſalica tempe: quæ ſunt ipſa quidem inter duos altos montes, Oſſam, & Olympum. quorum per media Peneus fluit: in quem omnes Theſſalici confluunt fluuij. Et apud Philiſtum libro 8. apparatum belli aduerſum Carthaginenſes Dionyſij tyranni. Vt & armorum, nauium, machinarumque opera. Vndecimo vero, & funus ipſius, & exornationem rogi. Proſopopœiæ autem quod luculentius exemplar, quam Homerica poeſis, dari poteſt? itemque Platonis, ac aliorum Socraticorum dialogi, fabulæque Menandri? Habemus & Iſocratis laudationes, & Platonis, ac Thucydidis, Hyperidæque & Lyſiæ orationes funebres. & laudationem Philippi ac Alexandri apud Theopompum. & Ageſilai apud Xenophontem. Sunt comparationes quoque apud veteres. Vt apud Demoſthenem in oratione contra Leptinen, vbi Cononem vult præponere Themiſtocli. Id videre eſt & in Conuiuio Xenophontis, vbi Socrates quaſi teſtimonium perhibet Calliæ, longe præſtantiorem eſſe animi quàm corporis amorem. Theſis exempla ex Ariſtotele ac Theophraſto ſumi poſſunt. multi enim horum extant qui de his inſcribuntur libri. Sunt tamen & ab oratoribus generalia quædam expoſita capita, totæque adeo orationes huius formæ perhiberi poſſint. Vt Lyſiæ, de muneribus nuptialibus inſcripta. & altera de procurato abortu. In altera enim quæritur, Vtrum per vim ductæ mulieri tradita munera, retinere illam oporteat. in altera, Sit ne homo, fœtus, qui adhuc in vtero geſtatur: & vtrum abortus poſtulationi obnoxiæ ſint muliere. Atque has quidem orationes Lyſiæ eſſe negant. neque tamen ad iuuenila exercitia vel horum ingrata futura eſt lectio. In ſingulis etiam orationibus, generale quæſtionis aliquod caput inuenire eſt. Vt apud Demoſthenem contra Onetorem de vi, An quæſtionibus fides habenda ſit. Et apud Aeſchinem contra Timarchum, An rumorum ſit aliqua veritas. aliaque alibi. Neque deerunt ferè apud pleroſque oratores legum diſſuaſionis exempla. ſed eximia ſunt Demoſthenica, in oratione contra Timocratem & Ariſtocratem: itemque in Leptinem. Aſtructionum autem, quas vocant, cum apud alios, tum Lyſiam, in oratione in Dioclem, pro lege contra oratores lata. Quod ſi non omnibus quæ à nobis traduntur, vſi reperiantur, quod non ad exercitum ſed vſum fori compoſitæ illorum ſint orationes, nihilominus omnes quoque eas de quibus nos agimus, complectantur ſpecies. Sed ne paraphraſes quidem veteres neglexiſſe, ſatis ſupra demonſtrauimus. Nec minus aliqua ab alijs magis elaborata cernere eſt. Nam & Cylonium facinus magis à Tucydide elaboratum, quàm ab Euphrone & Herodoto. Et Demoſthenes magis quàm Hyperides Athenienſium ob captam Elatiam tumultum elaborauit. Vt, *Veniſſe veſperi quendam, qui nunciaret magiſtris tribuum, occupatam eſſe Elatiam*, &c. Licet autem & totas inter ſeſe hiſtorias, & totas conferre orationes, Vt quid melius

apud

Digitized by Google

apud quenque exactiuſque ſit elaboratum videamus. Vt Demoſthenis orationes cum Hyperidis, & cum Xenopohentis, Theopompi de Græcorum rebus hiſtorias. Contradictionem in ijs potiſſimum reperias orationibus, quarum vna accuſationem, altera defenſionem continet. qualis contra Cteſiphontem Aeſchinis, & Demoſthenis pro Corona: itemque vtriuſque, de malè geſta legatione. Inuenias tamen hanc etiam in hiſtorijs. Apud Thucydidem quidem in primo, Corinthij reſpondent Corcyræis: in tertio, Diodori & Cleonis extat contentio, Apud Platonem verò tam elaborationem rerum, quàm contradictionem habes. vt in Phædro. cum idem quod Lyſias & ipſe tractaſſet argumentum, mox aduerſus vtranq; & ſuam diſputat & Lyſiæ orationem. Et in Republica cum per Glauconem primum & Adimantum Thraſymachi de iuſtitia aſtipulari ſententiæ videatur, ſtatim deinde contra accuſationem totam ſuſcipit defenſionem illius. Atque hęc quidem in medium produxi, non quod omnia omnibus conuenire incipientibus exiſtimē: ſed vt exercitia huiuſmodi, non ijs ſolum, qui oratores fieri ſed & ijs qui vel poëticam, vel hiſtoriam, vel quamcunque elocutionis laudem appetere voluerint, eſſe neceſſatia. Sunt enim certè hæc omnis in quocunque genere eloquentiæ quædam velut fundamenta. Atque vt animis illa teneris ſubiecerit quiſpiam, ita & ſequentia neceſſe eſt procedant. Quapropter, præter ea quæ indicata ſunt, dabit operam Magiſter, vt & ipſe aſſertiones ac deſtructiones quam optimas componat, eaſque adoleſcētes recitare iubeat. Vt quaſi ſigna quędam ac veſtigia illorum ſequentes ipſi, laudabilem imitationi operam dare poſſint. At vbi iam ſcribere poterunt, dictanda illis ordine capita, itemque epichiremata quæ vocant. Indicabuntur & occaſiones digreſſionum, atque amplificationum, aliorumque omnium. Sed & ipſa quaſi materię propoſitæ oſtendetur natura. neque verborum negligetur compoſitio: docebunturque omnia, quibus cognitis praua compoſitio vitetur, in primis orationis verſibus & rhythmis numeroſæ. Cuiuſmodi frequentata eſt ab Hegeſia & Aſianis rhetoribus, atque etiam ab Epicuro. vt cum ad Idomenea ſcribit: *O qui ſuaues ſemper omnes à puero motus putauiſti meos*. Quæque pro illius circumferuntur, (nam in ſcriptis eius nos quidem nondum reperimus) *Age dic Polyane mihi, quod nam ingens gaudium eſſe poſſit?* Atque talia quidem planè reprehendenda ſunt, habentq; manifeſta compoſitionis vitia. Venia tamen dari ſolet ijs qui forte in verſus qui quam proxime ad ſolutam accedunt orationem, incidunt. quod omnibus fere ſcriptoribus inuitis euenire ſolet. Ephorus certe in libro de ſermone, eo ipſo loco, vbi nimis numeroſam vſurpare elocutionem vetat, ſtatim initio verſum ipſe extulit, hoc modo,

Poſt hac modos orationis inquiram.

Neque minor ſane cura honeſtatis eſſe debet. Ne ſimpliciter nudemus turpia, ſed quodam modo narratione inuoluamus. Vt Æſchines in ſuſpicionem fœditatis adducturus Demoſthenem, non ait eum ore impuro eſſe, ſed ea parte qua emittit vocem. Sed & plana eſſe & euidens debet elocutio. Neque enim ſimpliciter narrare oportet, ſed & danda opera, vt cum auditorum

Digitized by Google

mente conueniat ac congruat oratio. Vt Homericum illud fiat:

Plana loquar dicta, inque tuo tibi pectore ponam.

In emendandis autem exercitijs ſpectandum id erit, ne omnia initio tollantur vitia. verum pauca, & quæ maxime ſunt manifeſta: ne mœrore affectus adoleſcens, ſpem futuri abijciat profectus. Eſt quoque illius qui emendat, & vbi error eſt commiſſus & quo pacto emendari debeat, monſtrare. Longe autem præſtare, ea potiſſimum vt præſcribantur iuuentuti argumenta quæ iam ante à veteribus tractata ſunt. Qualis eſt communis locus, narratio, deſcriptio, laudatio, theſis, atque alia eiuſdem generis. Poſthęc ad ipſa veterum ſcripta deducendi ſunt. Vt ſi ad ea ſe accedere videant, confirmentur, ſin minus, vt emendatores ipſos habeant antiquos. Verum cum non omnes ad omnia idonei natura ſimus, alijque in affectibus grauioribus nihil, in leuioribus plurimum; alij contra in his parum, in illis multum; alij neutro horum ſed vi valeāt argumentorum; danda erit opera, tum vt quæ natura nobis adſunt bona augeamus, tum vt quæ deſunt, luculenta auctione ſuppleamus. Vt non grandes modo materias præclare tractemus, vt Aeſchines: neque exiles tantum, vt Lyſias: ſed ad ambas potius parati ſimus, vt Demoſthenes. Ad hæc omnia, conuenientem vnicuique orationis generi pronunciationem diſcere oportebit.

Cap. III.

DE FABVLA.

FAbula eſt narratio ficta, veri exprimens imaginem. Sciendum autem, non de quacunque fabula nunc agi, ſed de ijs, quarum narrationi, id quod repræſentatur aut ſignificatur, ſubijcimus. quod interdum tamen fabulæ præmittimus. Vocantur autem Aeſopicæ, Libyſſæ, Sybariticæ; itemque Phrygiæ, Ciliciæ, Caricæ, Aegyptiacæ & Cypricæ. Vnum autem harum omnium diſcrimen, quod ſingulis propria cuiuſque adijciatur ſpecies. Plerumq; enim dicimus, Æſopus, vel Libys aliquis vel Sybarita, vel Cyptia denique fœmina, hanc aut illam dixit fabulam. Et ſic de reliquis. Si autem nihil, quo ſignificetur ſpecies, adiunctum fuerit, plerumque Aeſopica eſſe intelligitur. Qui vero inter eas quæ de brutis animalibus deque hominibus ſunt, diſcrimen ſtatuunt; alias item eſſe volunt, quæ res incredibiles & quæ fieri non poſſunt, alias quæ veriſimiles continent & quæ fieri poſſunt, falli inprimis videntur. Quippe cum in ſuperioribus omnes iſtæ reperiuntur formæ. Sed Aeſopicæ plerunque dicuntur, non quod primus fabulas inuenerit Aeſopus, (cum & Homerus & Heſiodus & Archilochus, alijque vetuſtiores Aeſopo, non ignoraſſe videantur fabulas; ſed & Conis quidam, & Cilix, & Thurus Sybarita, & Cybiſſus Libys, à quibuſdam vt autores laudentur fabularum) ſed quod fa-

bulis

bulis Aeſopus crebrius & magis ſcitè vſus fuerit. non ſecus quam Ariſtophaneum metrum, & Sapphicum, & Alcaicum, & alia aliunde nuncupantur, non vt ab autoribus, aut ijs qui ſoli, ſed qui plurimum hæc metra vſurparunt. Veteres quidem poëtæ vt plurimum ænos, alij mythos dixerunt. Qui oratione vtuntur ſoluta, logos vt plurimum, non mythos, dicunt. Vnde & Aeſopum *logopœon*, hoc eſt, fabularũ conditorem vocãt. Plato in dialogo de Anima, interdum μῦθον, interdum λόγον vſurpat. Quamquã & μῦθος et ſignificationem hẽt λόγου: ſiquidem μυθῆσαι, idem quod λέγειν antiquis. Αἶνος autem à præceptis monitiſque dicitur quæ continere ſolet. Tota enim res ad vtilem refertur inſtitutionem. Quemadmodum αἴνους quoque ænigmata nonnulli nunc dicunt. Et hoc ergo inter exercitia hæc locum habet. Fabulam enim aut ſimpliciter narramus, aut leniter alio deflectimus, aut cum narratione alia coniungimus, aut contrahimus denique aut extendimus. Solet & propoſitæ orationi aut ſermoni de re aliqua præmitti: aut cum aliqua de re diſſerimus, commoda illi aliqua accommodari fabula. Præter hæc & deſtruimus, & aſſerimus fabulas. De narratione autem ſatis, vbi de chria explicauimus. Danda autem opera, vt & ſimplex & accommodatus, tum quam minimè elaboratus, ac perſpicuus, in narranda fabula adhibeatur ſermo. Quare & ſi quæ à veteribus hic exponuntur, memoriæ prius erunt infigenda. Proderit & hoc, vt integra fabula narrata diſcipulus de hac orationem ordiri aſſueſcat. Sicut fit ab Heſiodo,

Accipiter ſic luſciniam eſt affatus amœnam.

Nam de ijs quæ inferuntur,

Demens eſt, qui cum certare potentibus audet,

oſtenditur, contendiſſe luſciniam cum accipitre: & iratum deinde hunc, illa correpta, ſic locutum. Flecti autem, tam fabulæ quam chriæ, & in numeros, & in obliquos poſſunt caſus. Sed in accuſatiuum deflectere in primis decebit. vel quia hac plerunque forma, in referẽdis fabulis vtũtur antiqui. Et optime quidẽ, vt Ariſtoteles exiſtimat. Neque enim ex perſona eius qui eas cõmemorat, ſed ad antiquitatem ſic referuntur. vt opinioni eorum occurrant, quibus falſa ac quæ fieri nõ poſſunt referre videntur. eamq; ſic mitigent & à ſe amoliantur. Neque tamen ſemper quaſi neceſſitate legis cuiuſdam propoſitum caſum ſequi oportet. Sed accerſenda ſunt & alia & formæ miſcendæ, vt propoſito alio caſu ad alium ſequentia traducãtur. Maiorem enim hoc delectationem habet, eo quod & varietatẽ. Qualis eſt Phædonis Socratici in Zopyro fabula, cuius initium ab accuſatiuo: *Atq; aiunt quidem, ò noſter Socrates, minimum natu filiorum regis quõdam donaſſe cuidam leonis catulum.* Paulumq; progreſſus, illũ rurſus mutat caſum cum recto. hoc nimirum modo. *Ac mihi quidem leo videtur cum puero enutritus, etiam illum iam adoleſcẽtem, quocunque iret, comitatus. vnde & captus amore illius à Perſis credebatur, &c.* Fabulã autem ita cum reliquis cõnectimus. Ea expoſita, narrationem vt oportet inferimus, vel cõtra. Vt priore loco narrationem, & poſteriore fabulam, veluti in eũ vſum excogitatã, ponamus. Hoc nimirum modo: *Camelus cum cornua appeteret,*

rit, auribus quoque ſpoliari cœpit. Hoc præfati, ita narrationem inferemus: *Idem planè quod iſti camelo, & Crœſo Lydorum Regi eueniſſe videtur.* atq; ita reliquam de hoc vniuerſam pertexemus narrationem. Dilatatur autem, vel perſonarum quæ adhibentur amplificatione, vel fluuij ſimiliſque rei deſcriptione, fabula cui contraria eſt contractio. Applicationem autem hoc modo inferemus. Si narrata fabula, conuenientem illi generalem aliquam inferamus ſententiam. Exempli cauſa, *Canis in flumine quodam carnem ferens, & in aqua ſuam conſpicans imaginem, cum in aqua alium exiſtimaret eſſe cum maiore carnis fruſto canem, abiecto eo quod habebat ipſe, in flumen quaſi ad rapinam inſilit, ibique mergitur.* Cui ita generalis accommodabitur ſententia. Nempe, *Quod ij qui plura concupiſcunt, ſe cum ijs pariter quæ habent non raro perdunt.* Vnius fabulæ plures, ſingulis de rebus natæ, quæ ipſa continẽtur, applicationes eſſe poterunt ac contra vnius vel concluſionis vel ſententiæ generalis, plures, quæ conueniant cum iſta, poterunt afferri fabulæ. Cuius concluſionis mentem licebit & ſimpliciter proponere, ac deinde adoleſcẽtibus præcipere, vt conuenienter rei propoſitæ excogitent fabulam. Quod facillime poterunt, ſi partim de ſcriptis veterum excerptas, partim de aliorum tantummodo narratione collectas, partim etiam à ſe confictas, ad manum habeant fabellas. Deſtructionis & aſſertionis hæc erit ratio. Cum ipſe autor fabulæ, inficias non eat, falſa ſe, & quæ fieri non potuerint, ſed quæ vtilia tamen ſint & probabilia, narrare; deſtruemus, & neq; probabilia, & inutilia eſſe oſtendemus. Aſſeremus autem è contrarijs. Hæc enim præcipua ſunt capita, quibus ſingulæ quoque continentur partes. Danda autem opera, vt cum fabula conueniat exordium. Poſt exordium autem proponenda fabula. Nonnunquam perſtringetur, cum in tranſlatione hypotheſeos nõ ſemper ſit neceſſaria narratio. Ita ad argumentationem tranſibitur, & ſic quidem vt ſingulæ Fabularum partes, initio à primis facto, refutentur. vbi eam adhibere oportet curam, ne vllo in loco aut parte earum, dicendi nos deficiat facultas. Ac argumentationes quidem ex his potiſſimum ſumentur ſedibus: Ex obſcuro, & improbabili, ex indecoro, ex deficiente, ex abundante, ex inuſitato, expugnante, ex ordine, ex inutili, ex diſſimili, ex falſo. Eſt autem obſcuritas, vel in vno verbo, vel in pluribus. In vno; cum verbo aliter quàm conſuetudo fert, vel cum plura ſignificante vtimur. In pluribus, ſi quamuis nihil aut addatur aut dematur, varijs modis poteſt accipi quod dicitur. Quale hoc,

Te ſeruum ego feciſſe quendam liberum.

Incertum eſt enim, vtrum ex ſeruo liberum, an è libero fecerit ſeruum. Quanquam ſane mox vbi de narratione acturi ſumus, de perſpicuitate diſſeremus accuratius. Improbabile eſt, quod quamuis fieri dici ue potuit; factum dictumue tamen eſſe non creditur. Vel ob perſonam, cui res aut ſermo attribuitur, vel ob locum vbi quid factum dictumue perhibetur. Vel ob tempus, quo quid factum dictumue eſſe memoratur. Aut quia hoc vel illo modo geſtum aliquid dictumue perhibetur. Nam & cauſæ explicandæ ſunt. Oſtendemus enim, parum conuenire, hunc aut illum, hoc vel hoc, tali vel loco, vel tempore, vel modo, vel ob talem cauſam, aut feciſſe aut dixiſſe. Idem de indecoro intelligendum. Deficiens

eſt

eſt aut Abundans, cum à narratore aliquid quod dici potuiſſet, aut omiſſum, aut quod nō eſt, dictum eſt. Vel de perſona, puta, vel de re, vel tempore, vel modo, vel loco, vel cauſa, vel aliquo huiuſmodi. Inuſitatum eſt, quoties aliter quā fide digna traditum ſit hiſtoria vel communis ferat perſuaſio, aliquid dictum eſt, vt, exempli cauſa, ſi dicatur, Non finxiſſe Promethea homines, ſed alterius cuiuſpiam hoc opus eſſe. aut, ſi aſino prudentia, ſtulticia vulpeculę tributa ſit. Locus ex pugnante eſt, ſi ipſe à ſe diſſentire autor oſtēdatur fabulæ. Quo initio tamen non vtemur: ſed cum media aut vltima deſtruere cœperimus, atque hæc primis aduerſari oſtendere voluerimus. In ordine reprehendemus, ſi quæ primo in fabula dicenda fuerint, non eſſe primo loco dicta, quæque poſtremo, alibi præmiſſa eſſe probabimus. Denique vt quidque poterimus, quaſi nòn ſuo loco poſitum carpemus. Locus ab inutili manifeſtus eſt, quo maxime in ſententiæ deſtructione applicatæ ad fabulam vtemur. Quo & locus à diſſimili, & à falſo, ſolummodo videntur pertinere. A diſſimili, ſi ea quæ in fabula narrantur, aut toti ſententiæ ſubiectæ aut alicui illius refragetur parti. A falſo, cū non omnino ſic ſit, quemadmodum à fabulæ auctore dictum. Vt, exempli cauſa, ab ijs, qui plura petunt, parte quoque amitti. Non enim ſemper verum eſt. Iam aſſertionum loci erunt his contrarij. quæ in ſummam tum redigemus, vbi multæ validæque vel deſtructiones vel aſſertionem ſupeditauerint. Quæ ſi paucę ſint aut imbecilles, in ſummam redigendæ non erunt. Vſurpabimus & exagitationes ſic & amplificationes, & eleuationes & digreſſiones, & affectus, omnem deniq; orationis formam. Vt enim diximus, non multum inter hoc exercitium & forenſes intereſt cauſas. Qui quidem loci ad narrationes quoq; deſtruendas vel aſſerendas, vtiles futuri ſunt.

Cap. IV.

DE NARRATIONE.

NArratio eſt oratio, qua res geſtæ, vel quaſi geſtæ, exponuntur. Narrationis autem capita ſunt ſex: Perſona vna pluresue: negotium geſtum à perſona: locus vbi geſtum: tempus quo geſtum: & modus denique quo geſtum. Quibus ſextum accedit, cauſa geſtorum. Cum autem hæc præcipua ſint capita, quę narrationem conficiant abſolutam; abſoluta erit ea, quæ conſtabit ex his omnibus, itemque ex ijs quæ ad illa referuntur. Quemadmodum imperfecta, cui aliquid ex illis deerit. Sequuntur autem perſonam, genus, natura, educatio, affectio, ætas, fortuna, propoſitum, actio, oratio, mors, & quæ eam conſequuntur. Ad rem geſtam pertinent, magnum, paruum, periculoſum, aut expers periculi, quod poteſt aut non poteſt fieri; facile, difficile; neceſſarium, non neceſſarium; vtile, inutile; iuſtum, iniuſtum; præclarum, obſcurum. Ad tempus referuntur, præteritum, præſens, futurum: quid primum, quid ſecundum, atque ita deinceps. Tum quid

noſtro,

Digitized by Google

noſtro, quid priori tempori conueniat. Adde tempus definitum, quod priuatim aut publice rei deſignatum eſt. Itemque, ſi hyeme, vere, æſtate, autumno, ſi nocte, aut interdiu; ſi concionis tempore, ſi pompæ, feriarum, nuptiarum, conuiuij, luctus, aut ſimili vitæ tempore res geſta ſit. Loci ſunt: magnitudo, interuallum, vicina vrbs aut regio: ſacer locus, aut profanus: ſuus, aut alienus deſertus, aut cultus: minutus, aut neglectus: campeſtris, aut montanus: ſiccus, aut aquoſus: nudus, aut nemoroſus: & ſimilia omnia. In modo conſideratur, prudentia & imprudentia, quarum vtraque trifariam diuiditur. Ignorātiæ attribuitur iuſtitia, caſus, neceſſitas. Spontaneo, vtrum vi, aut clam, aut dolo res geſta ſit. In cauſa rei geſtæ conſideratur, vtrum aliquid vel boni acquirendi, vel mali effugiendi gratia, item amicitiæ cauſa, aut mulieris, aut liberorum; vtrum in perturbatione animi, vt ira, amore, odio, inuidia, miſericordia, ebrietate, & ſimilibus, ſit geſtum. In narratione tria hæc requiruntur: vt aperta ſit, vt breuis, vt probabilis. Quare ſi fieri poterit, danda erit opera, vt in narratione omnes hæ ſint virtutes. ſin aliquid obſtiterit, ne perſpicuitati & probabilitati officiat breuitas. ſemperq; illud, quo maxime opus, ſequendum. vt ſi forte fuerit res per ſe minus grata, perſpicuitati & probabilitati ſtudendum. ſin plana, & non multiplex, breuitati & probabilitati. Nam ſemper in narrando probabilitas cuſtodienda, quæ huius eſt propria. quæ ſi abſit, quo fuerit breuior atque illuſtriore, eo incredibilior auditoribus videbitur. Si fuerit res per ſe probabilis, interdum breuitate vtendum, interdum aſſertiones frequentandæ. quibus id quod propoſitum eſt, ad probabilitatem adducatur. Sed & ea quæ moleſtiam ſunt auditori allatura, quam breuiſſime narranda ſunt. Vt Homerus, *Patroclus iacet.* Iucundis contra immorandum. quemadmodum idem Poeta apud Phæacas, fabularum ſtudioſos, Vlyſſem, cum magna cura & ocioſe enarrantem errores ſuos introduxit. Duobus autem modis fit perſpicua narratio. cum ex ipſis quę narrantur rebus, tum & ex dictione, qua narrantur. Ex rebus, cum res quę narrantur communem non effugiant ſententiam. cuiuſmodi ſunt, quę in dialectica et geometria diſputantur. Aut ſi non multa ſimul aliquis narret, ſed ſingula ad finem ſuum deducat. quo nomine Thucydides à quibuſdam reprehenditur. Cum enim pro æſtate aut hyeme narrationem diuidat, ſæpenumero priuſquam tota res perficiatur ad aliud tranſire quod eodem tempore accidit, ac deinde, quod ex narratione ſupereſt eadem, alia hyeme aut æſtate proſequi cogitur. Nonnunquam & tertio & quarto tempore opus fuit, donec ea cuius primo inſtituerat narrationem, res finiretur. cum vnoquoque tempore geſta prima ſemper narratione comprehenderentur. quo cum obſcurantur res, tum illarum impeditur memoria. Cauendum & hoc, ne tempora confundantur, neve ſeries rerum perturbetur. Itemque, ne iterum idem memoretur. non enim minus hoc quam alia, ne res intelligantur, efficit. Egreſſiones quoque longiores ne inſerantur narrationibus, cauendum. nam ſimpliciter omnem fugere haud oportet: quod Philiſtus fecit: quia in hac audientium acquieſcit animus: cæterum prolixas illas, quæ tam longe animū abducunt auditorum, vt priora reuocare in memoriam ſit opus, qualibus in Philippi rebus Theopompus vſus eſt. Reperiuntur enim

duæ,

duæ, tres, & plures quoque alicubi, in eo hiſtoricæ digreſſiones, in quibus non modo Philippi, ſed ne cuiuſquam quidem Macedonis fit mentio. Obſcura autem fit narratio; primo, ſi omittantur ea, quorum neceſſe erat meminiſſe. tum ſi hiſtoriæ occultioris alicuius allegoriæ inſerantur. In verbis, perſpicuitatis ſtudioſo, poëtica, & fictitia, & figurata, & priſca, & externa, & plura ſignificantia fugienda ſunt vocabula. Poëtica ſunt, quæ interpretatione indigent. Vt cum poëtæ vſurpant κρήγυον hoc eſt, verum, & ἀντιφερίζειν, quod eſt aduerſari, & μάρνασθαι, quod eſt, pugnare. Fictitia ſunt, cum alia, tum quæ ſibilos, ſtrepitus, ſtridores notãt. Qualia Græcis ſunt κέλαδος, κόναβος, κελαρύζειν. Figurata autem huiuſmodi.

Iuppiter è ligno murum dat Tritogeniæ.

Hac enim verborum figura Pythius Athenienſibus, vrbem deſerendam, nauéſque quibus pro muro vterentur, conſcendendas oſtendit. Priſca ſunt, vſitata illa quidem olim ſed nunc obſoleta. ſicut Demoſthenes in oratione contra Ariſtocratem, de lege Draconis ita loquitur, μηδ᾽ ἀποινᾶν μηδὲ χρήματα πράττεσθαι, *neque redimere, neque pecunias exigere*. nam pecunias dixere priſci ἄποινα. Externa ſunt, quæ alijs familiaria, alijs inuſitata ſunt. Vt ſi quis fori nomine, portum appellet, vt Theſſali. aut κλεινὸν nominet, quem amet, veluti Cretes. Æquiuoca dicimus ea, quorum vna & vox, & vnum nomen, diuerſa autem vnius vocis ſignificatio. Ita puer, & filium ſignificat, & ætate puerum, & ſeruum. Obſcurant orationem & ea, quæ ambigua à Dialecticis dicuntur, ex coniuncti confuſione & diuiſi. Vt ſi dicatur, Tibicina πεσοῦσα, populo addicatur. Nam hoc & coniunctim, atq; indiſcrete efferri poteſt, ſi dicamus, Tibicina πεσοῦσα, hoc eſt, *quæ ceciderit*: & diuiſim, vt ſi dicamus, Tibicina παῖς οὖσα, id eſt, *quæ puella ſit*, addicatur populo. Itẽ, ſi qua particula quæ per ſe nihil ſignificat, ita poſita ſit, vt non appareat cum quibus coniungere illam oporteat. Vt ſi dicamus, Οὐκ ἐν ταύροις *Hercules bellum mouet*, Duo enim diuerſa ſignificat, *non mouere bellum Centauris, & non in tauris*. Fit & obſcura oratio, cum pars, quæ per ſe aliquid ſignificat, quo referenda ſit, non patet. Vt,

Triſtibus hoc caſu eſt riſus tamen ortus Achiuis.

Incertum enim, vtrum *Therſitæ caſu triſtibus*, quod falſum eſt, *an caſu deductarum nauium triſtibus*. Et rurſum,

Populum præſtantis Erechthei,
Pallas quem Ioue nata aluit, terra edidit alma.

Ambiguum quippe, populumne dicat enutritum à Minerua, & terra natum, an Erechthea. Ex huiuſmodi ambiguis locutionibus, Heracliti philoſophi libri obſcuritatem contraxere: qui ad faſtidium illis, ſiue gnarus ſiue ignarus, vſus eſt. Sed & cauendum, ne hyperbatis vtamur: qualia ſunt Thucydidea pleraq;: non enim prorſus illud loquendi genus, cum eo & varia & minime vulgaris oratio reddatur, reijcimus. Tum ne inſertiones, eaſq; & ipſas longiores, adhibeamus. Nam quibus alterum ſtatim membrum infertur, minus offendunt auditores, Quin etiam verba interdum ſi omittantur,

Digitized by Google

perſpicuitati officitur. Vitabitur & caſuum in diuerſitate perſonarum paritas. quo fit, vt dubium, quid cui applicari debeat, efficiatur. Vt in accuſatiuo, quo ſolo ambiguam reddi elocutionem multi putant. Exempli cauſa, apud Demoſthenem contra Midiam: *Norunt Euæona multi, Laodamantis fratrem obtruncantem in cœna Bœotum.* Non enim liquet, vtrum Euæon obtruncarit Bœotum, an Bœtus Euæona, quod eſt falſum. Immo & hoc incertum, ſitne Euæon frater Laodamantis, an Bœotus. In nominatiuo autem eſt ambiguitas apud Herodotū, libro primo: *Sunt vero & Aegyptij Colchi:* non enim planum eſt, eum de Ægyptijs loqui. Similiter in genitiuo, & in datiuo poteſt fieri. Vt ſi dicamus, *Colchorum autem Aegyptiorum: & Colchis autem Aegyptijs*. Sed fieri ambiguam elocutionem in accuſatiuo, in confeſſo eſt. In alijs autem caſibus, articulus additus ambiguitatem tollit. vt ſi dicamus, ſunt tamen Aegyptij iſti Colchi. Iam enim manifeſtum, loqui hunc de Colchis, ac velle, eos eſſe Ægyptios. Similiter autem breuis futura eſt oratio, tum verbis, tum rebus. Eſt eim breuitas, oratio, quę res maxime opportunas explicat. Et nec addat ſuperuacanea, neque prætermittat neceſſaria, idque cum in rebus, tum in verbis. In rebus ita: ſi neque ſimul multas complectamur res, neque alias alijs accumulemus, quæ veluti ſubaudiri videntur omiſſis. ſed nec longe exordium petamus, neque in ijs quæ abundant, orationem conſumamus. quod plerumq; conſueuerunt qui poſt res geſtas narrationem inſtituunt. quæ fortaſſe hiſtoriam decebunt. In qua produci expoſitiones, & altius exordia peti, & elaborari quædam quæ extra inſtitutum videantur, poterunt. Narratio vero ad totius caput negotij referri debet. Neque ſpectari in hac quicquam, quod ab illo alienum ſit. Vt in illa de Cylone, ſi hiſtoria ſcribatur, quibus hic maioribus, quibus parētibus natus ſit, & alia eiuſmodi non pauca dicenda erūt. Vt certamen Olympicum, & victoriarum numerus, & tempora quibus vicerit. Narrationem vero ſi quis de eo inſtituat, nihil cauſæ erit, cur hæc talia accuratè recenſeat. quod ab Herodoto & Thucydide factum, cum vterque piaculum Cyonium referre valuiſſet. In verbis obſeruandum, ne multis idem ſignificantibus vtamur. Nam quę nomina idem valent, orationem, cum non opus ſit, longiorem reddunt: quale Demoſthenis illud Olynthiaca ſecunda: *Cœleſti quodammodo & diuino beneficio hoc ſimile prorſus videtur.* Item, ne pro vno nomine, multis ſimul vtamur. Vt, pro *moritur, vita functus eſt*, & his ſimilia. Pręterea quę ſubaudiri ſolent, omnino breuitatis in narrando ſtudioſus prętermittet. Idem ſimplicibus frequentius quam compoſitis, breuibus magis quam longis, ſi nullum ſit ſignificationis diſcrimen, vtetur. Sed & hoc cauendum, ne quis breuitatis ſtudio, in plebeia aut obſcuritatem incidat. Verū narratio vt probabilis ſit, verba, quæ agnata quaſi, tum perſonis, tum negotijs, rem & locis ac temporibus, aſſumenda erunt. Res quoque conſentaneas eſſe inter ſe ac ſe mutuo conſequi oportet. Quin & cauſę breuiter narrationi adiungendę, ijſque quę minus credibilia ſunt, fidem dicendo conciliare oportet. Vbique denique, & in alijs circa quę narratio verſatur, tam quod ad res quam quod ad verba, decori habenda ratio.

Exem-

Digitized by Google

Exemplum eſſe poterit narratio Thucydidis, quæ principio ſecundi libri de Platæenſibus & Thebanis extat. Veri enim erat ſimile, Thebanos, quibus ſemper inimicitię cum Platęenſibus interceſſiſſent, cum futurum audiuiſſent bellum, Platęas durante adhuc pace pręoccupare voluiſſe. Quod conſilium vbi cepiſſent, non quidem palam, noctu vero illos id aggreſſos atque, qui pro ipſis eſſent, quoſdam ex Platęenſibus habuiſſe, qui & portas illas, cum nullę ad eas propter fœdus excubiæ eſſent. Illoſque proditores patrię fuiſſe, non tam eo animo, vt eam traderent Thebanis, quam priuato aduerſus quoſdam ciues ſuos odio, quos ſe facile, ſi res ſucceſſiſſet, perdere poſſe ſperarent. Probabile autem, cum neque ab hoſtibus occupatam ciuitatem ita ſubito ſentirent, atque propterea multo plures intraſſe exiſtimarent, ad conuenta deueniſſe. Poſtea autem paucitate hoſtium comperta, eos eſſe adortos. Ipſa quoque Thebanorum tumultuatio, per quam probabilis, vtpote irruentibus in Thebanos Platæenſibus, mulieribuſque ac ſeruis de domibus cum clamore & vociferatione obſtrepentibus, ſaxaque & tegulas in Thebanos immittentibus. Cum & largi ea forte nocte extitiſſent imbres, nec plerique Thebanorum, vrgentibus hoſtibus, cum in tenebris hærerent ac luto, effugere potuiſſent. Eſt & hoc probabile, portam clauſiſſe quendam, cuſpide loco claui vſum iaculi, qua eam obſeraret. Quo ipſo etiam probabilius quod de muliere, quæ cuidam dederit bipennem, refertur. Veri enim ſimile, mulierem, quæ domum haberet portæ infrequentiori vicinam, cum cerneret incluſos eſſe hoſtes, formidaſſe, ne ex ſalutis deſperatione in vecordiam, atque ex ea, ad lædendum, omnes quidem quos poſſent, in primis autem vicinos, conuerterentur. Taceo, fuiſſe hoc mulieris, miſericordia erga hoſtes quoque victos commoueri. Huiuſmodi, prolixiores ne ſimus, cætera omnia ſunt. Exercitium narrationis ſimplex non eſt, ſed vt fabula, ita & hoc, refertur, flectitur, copulatur fabulæ, contrahitur, dilatatur. Prætera & in referendo mutare capitum ordinem ſolemus. Quanquam licet & ſeruato ordine, multis diuerſiſque modis variare elocutionem: ſed & inter narrandum acclamatione vti, & in referendo duas plureſue connectere narrationes. Quibus omnibus aſſertio accedit & deſtructio. Ac de referendo quidem & flectendo, copulãdoque, itemque contrahendo: ac dilatando, cum de fabula ageremus, ſatis eſt dictum. Mutati autem ordo ſolet multifariam. nam & à medio orſus poterit ad initium recurrere, atque ita ad extrema peruenire: quod in Odyſſea ab Homero factum. Ab eo enim tempore quo apud Calypſo Vlyſſes detinebatur exorſus, ita ad initium, cum ſplendida in primis diſpoſitione, recurrit. Vlyſſem enim res ſuas Phæacibus narrantem introducit, cui quod reſtabat reliquum narrationis, ita coniunxit, atque ita ad finem, qui eſt de procorum nece, ac reconciliatione cum parentibus eorum, deduxit. Thucydides quoq; de Epidamno orſus ad res annorum L. aſcendit, vnde ad bellum Peloponneſiacum peruenit. Licebit & ab vltimis incipere, & pergere ad media, atque ita ad prima deuenire. Id quod nos Herodotus in tertio ſuis docet. Miſſo præcone in Ægyptum, petijt Cambyſes filiam Amaſidos. Petijt autem ex

Digitized by Google

conſilio Ægyptij cuiuſdam, qui hoc odio Amaſides ageret, à quo ab vxore & liberis diuulſus, Perſis traditus fuerat. Addit cauſam: ab Ægypti Rege Cambyſen, oculorum medicum, qui eſſet præſtantiſſimus, petijſſe. Naturalis enim narrationis ordo hic erat: primum vt diceretur, ex oculis laboraſſe Regem Perſarum, ac miſiſſe in Ægyptum illū, atque à Rege Aegypti medicum petijſſe oculorum, eumque hunc tranſmiſiſſe. Atque medicus, cum deſerendam ſibi coniugem ac liberos grauiſſime ferret, eum eſſe vltum à quo eſſet traditus. atque ita Perſarum ſuaſiſſe Regi, filiam Aegyptij vt peteret: quo aut doleret, ſi dediſſet, aut ſi non dediſſet, Perſam haberet inimicum. Licebit & à medijs ordiri, & in fine conſiſtere. rurſumq; à fine ordiri, & recurrere ad initium, & in medio finire narrationem. ſed & ordiri à primis, tranſire ad vltima, & in media definere. Ac de ordinis quidem mutatione id habendum. De varietate autem expoſitionis, ita. Cum ſoleamus eloqui res, interdum vt aliquid oſtendamus, interdum amplius etiam agamus, interdum vt interrogantes, nonnunquam vt ſciſcitantes, quandoque vt ad dubitantes; iterūq; aliquando vt imperantes, aliquando vt optantes, & modo vt iurantes, modo vt prohibentes, aliquando vt ſermocinantes; his modis omnibus variare narrationes introducere poterimus. Thucydides quidem initio libri ſecundi, quaſi oſtendens quæ ſequuntur extulit: *Thebani quidam numero paulo plures trecentis, prima nocte armati Plataeas, vrbem Bœotiæ, fœdere cum Athenienſibus coniunctam ingreſſi ſunt.* & quæ ſequuntur. Nos autem ſi quid amplius agere velimus, ita faciemus. [Magnorum, vt apparet, laborum cauſa fuit Athenienſibus ac Lacedæmonijs, & vtrorumq; ſocijs, quod Platæas aduenere Thebani. Thebanorum enim quidam, numero paulo plures trecentis, prima nocte armati plateas, vrbem Bœotiæ, fœdere cum Athenieſibus coniunctam, ingreſſi ſunt.] Atque ita reliquam narrationis connectemus partem. Si interrogatione vti libeat, ita id fiet: [Verumne hoc eſt? Thebanorum quoſdam, paulo plures trecentis, prima nocte armatos Platęas vrbem Bęotię ingreſſos?] atque ita interrogando & reliqua perſequemur. Sciſcitari hoc modo poterimus. [Quinam fuere illi Thebani, qui paulo plures trecentis numero fuere, primaque nocte armati platęas, vrbem Bęotiæ, ingreſſi ſunt?] Atque eodem modo ſciſcitando inferemus cętera. Addubitatio, quod ad prolationem attinet, nihil ab interrogatione differt: quare altero horum contenti eſſe poterimus. Siue enim interrogemus, ſiue addubitemus, ita efferemus:

Inſomnia aſtne aliquid loquacius vſpiam?

Sed hoc eſſe diſcrimen videtur, quod qui interrogat, reſponſum requirit, qui addubitat non item, quippe qui ſecum ipſe tantum dubitet. Si imperare voluerimus, ſic faciemus. Conſtituemus in fine narrationis quendam, qui poſt ſublatos eos qui Platæas fuerant ingreſſi, vel Thebanos vel Platæenſes adhortetur hoc modo: Agite, ò Platæenſes, date operam, vt veſtræ, maiorumque, qui aduerſus Perſas Mardoniumque res fortiſſime geſſerunt, quique in terra veſtra iacent, virtute dignos vos præſtetis. Oſtendite Thebanis, iniuſte facere illos, qui ſeruire vos ipſis ſubditoſq; viuere æquum cenſent: quique recuſantibus,

ſibus, vim belli contra fœdus & pactiones afferant. qui plures quam trecenti ingreſſi prima nocte armati vrbem veſtram, ſociam Athenienſium, &c. atq; ita reliqua, conuerſa ad Platæenſes oratione, perſequemur. Sin Thebanos adhortari opus erit, ſic dicemus: Date operam, Thebani, vt tum vobis, tum parentibus, totiuſq; quod tuemini Bœotiæ imperio, dignos vos præſtetis. Oſtendite nunc Platæenſibus, ò viri, eos, cum ſerui eſſent veſtri ac mancipia, non ad Athenienſes confugiſſe modo, ſed & paulo plures veſtrum quam trecentos, prima nocte vrbem ſuam Platæam, cum armis ingreſſos, ſuſtuliſſe. Ac ſic deinceps cætera narrabimus. Poterimus & ita imperandi modo vti, ſi fingamus aliquem, qui Thebanis, antequam Platæas petant, ea præſcribat, quæ & fecerunt: curate, ò Thebani, vt veſtrum aliqui, numero paulo plures trecentis, prima nocte armati in vrbem veſtram platæas, quæ nunc cum Athenienſibus ſe fœdere coniunxit, ingrediantur. cæteraque, vt maxime conueniet, eodem exequemur modo. Sin optemus, ita efferemus: Vtinam non Thebani illi paulo plures numero trecentis, prima nocte armati vrbem Bœotiæ platæas, fœdere Athenienſibus coniunctam, ingreſſi eſſent. Atque ita optandi forma narrationem vſque ad finem deducemus. Forma narrationis de caſu nominatiuo efferendæ manifeſta eſt. Compellandi vero formam omittimus, cum iam inter flexiones caſuum, vbi de vocatiuo agebamus, ea à nobis ſit exhibita. Sin ponamus factum, ita eloquemur: Ponamus enim, Thebanos quoſdam numero paulo plures trecentis prima nocte armatos platæas, vrbem Bœotiæ, Athenienſium ſociam, ingreſſos. His Nauclides cum ſuis, qui in foro cum armis conſtitere, portas aperuerunt. & ea quæ ſequuntur, ſimilem ad modum. Et apud Demoſthenem: *Amphipolin, Pudnam, Potidæam, Haloneſum, harum nullius memini.* Item: *Sed in Helleſpontum abijt. ante ad Ambraciam venerat. Elida iam tenet, tantam Peloponneſi vrbem. Megaris prius inſidiatus fuerat.* Poterimus autem, has intertexere inter ſe formas, duaſque commiſcere aut plures. Vt ſi in narratione alia, tanquam oſtendentes, alia coniuncta vna forma atque altera, alia variata vt cuique libuerit oratione, referamus. Acclamari narrationi ita ſolet, ſi ſingulis huius partibus ſententia generalis ſubijciatur. id quod tamen neque hiſtoriæ, neque ciuili orationi, ſed theatro ſcenæque conuenit. Vnde & à ſcenicis poetis frequentatur. Vt a Menandro, cum alibi quidem ſæpe, tum initio, tam Dardani quam Xenologi.

Genitore quidam procreatus paupere,
Nec educatus illius pro copijs,
Videns parentem egere, pudore affectus eſt.
Namque inſtitutus bene, rependit illico
Fructus decentes debitoſque gratiæ.

Verſus enim vltimus ſuperfluus eſt, tantum ad captandum ſpectatorum applauſum adhibitus. Quæ ſententioſa quidem quamuis ſæpe inſerantur, modo ne emineant, mirifice amœnam ac venuſtam efficiunt narrationem. Vt, exempli cauſa, Herodoti hæc libro primo. Cum enim de vita hominis, non eſſe eam ſtabilem, ſed plurimis obnoxiam mutationibus, dixiſſet, ac deinde

dies

Digitized by Google

dies quibus humana conſtat vita, ſi ad ſeptuaginta perueniat annos, enumeraſſet, tandem addit, *Horum*, inquit, *dierum omnium nulla quicquam quod alterius diei ſimile ſit, producit.* atque acclamatiunculam hanc addit, *Ita, ô Crœſe, nihil eſt quod non accidere poſſit homini.* Sic & Gyges Candaulæ: *Quam tu, Domine, ſermonem edis, non ſanum, qui iubeas me aſpicere nudam heram meam! Vna autem cum tunica ſolet pudicitiam exuere mulier.* Neque minus talia apud oratores reperire eſt. atque inprimis apud ciuilium rerum peritiſſimum Demoſthenem, maximeque in ijs, quæ maxime ciuiles ſunt, orationibus. Nam in Olynthiaca ſecunda, vbi de Philippo, quem mimos, obſcenorumque carminum poetas, alioſque qui ob impuritatem vitæ exquiſitam ab Athenienſibus eiecti eſſent, habere ſecum narrat, ideoq; neq; mirum eſſe quod id nemo propter eximios eius in bello ſucceſſus notaret, tandem exclamat: *Res ſecundæ mirabilem ad tegenda atque obſcuranda huiuſmodi probra vim habent.* Licebit contra & propoſita generali ſententia, narrationem ſubiungere, non ſecus ac de Fabula iam ante annotauimus. Vt apud Menandrum, in præclara Epiclero:

Inſomnia eſt ne aliquid loquacius vſpiam?

Tum deinde narratio ſequitur:

Huc me quidem producit excitans, ſimul
Vitam percurrere vniuerſam me imperat.

Sed & narrationi narrationem connectere licebit, ſi duas pluresue explicare ſit animus. Cui potiſſimum qui Iſocratem ſecuti ſunt, operam dedere, ipſeque adeo Iſocrates in Panegyrico, hoc modo: *Venere Herculis liberi, neque multo ante eos Adraſtus, Talai filius, Rex Argiuorum. Atque hic quidem, peſſime re geſta, è Thebano bello* &c. Item: *Venere in regionem noſtram Thraces quidem, duce Eumolpo Neptuni filio, Scythæ vero Amazonas Martis filias ſecuti, non eodem ſane tempore.* Atque de huius quidem ratione exercitij hactenus. Quæ & tota in Fabularum exercitio, ſeruari poterit.

Cap. V.

DE CHRIA.

Chria breue dictum eſt aut factum, quod cum iudicio certæ alicui perſonæ, aut quod pro perſona, adſcribitur. Cui vicina eſt ſententia, & quæ Α᾽πομνημονεύματα à Græcis dicuntur. Omnis enim breuis Sententia, certæ adſcripta perſonæ, Chriam efficit. Quemadmodum & illud, quod Α᾽πομνημόνευμα vocant, nihil aliud quam vtile vel factum vel dictum. Cæterum à Chria quatuor hiſce diſtinguitur Sententia. Primo, quod perſonæ ſemper attribuatur Chria, Sententia non ſemper. Secundo, quod interdum vniuerſaliter, interdum ſigillatim aliquid declarat Chria, quamuis id cum vitæ non coniunctum

ſit vti-

fit vtilitate: Sententia autem in ijs quæ conducunt vitæ verſatur. Poſtremo, quod Chria dictum ſit aut factum: Sentẽtia non aliud quam dictum. Et Ἀπομνημόνευμα, quod vocant, interdum amplificatur. Præterea, quemadmodum certæ ſemper perſonę aſcribitur Chria, ita per ſe commemoratur id quod Ἀπομνημόνευμα vocatur. Dicta eſt autem per excellentiam Chria, quod prę cęteris eſt vitę vtilis. Quemadmodum cum multi ſint poetę, tamẽ Homero tribuimus hoc nomen. Chrię autem genera pręcipua ſunt tria. aliæ enim dicto, aliæ facto, alię vtroque conſtãt. Quæ dicto conſtant, abſque vllius facti ſignificatione, ſolo dicto perficiuntur. Exempli cauſa: Diogenes philoſophus interrogatus à quodam, quam viam ad gloriam cenſeret inſiſtendam? reſpondit, eam quæ gloriam contineret. Huius generis formæ duæ ſunt. vna, qua aliquid pronuntiatur: altera, quę reſponſum habet. Ruſum prioris formę, alię ſunt, in quibus vltro aliquid pronuntiatur. Vt, exempli cauſa, Iſocrates Sophiſta ingenioſos pueros Deorum ſobolem aiebat. Alię occaſiones complectuntur. Exempli cauſa: Diogenes Cynicus philoſophus, adoleſcentem cum vidiſſet, opulentum illum quidem, ſed ineruditum, Iſte, inquit, ſordes ſunt argento tinctę. Nõ enim ſimpliciter, ſed ex eorum quę viderat occaſione id pronuntiatur à Diogene. Reſponſionum quatuor ſunt formę: Interrogationis, Sciſcitationi, & cum Interrogationi ratio ſubijcitur: ac poſtremo, quæ, generis nomine, Reſponſio vocatur. Differunt Interrogatio & Sciſcitatio: quod Interrogatio aſſenſionem tantum & inficiationem requirit. Vt annuamus, ſcilicet, aut abnuamus: vtq; aut ita eſſe, aut non eſſe, reſpondeamus. ſciſcitatio autem fuſiorem deſiderat reſponſionem. Interrogatio, vt illud: Pittacus Mitylenęus interrogatus, vtrum qui impie ageret, lateret Deos, Ne qui cogitat quidem, inquit. Illud enim quod reſponſionem ſimplicem ſequitur, ſuperfluum eſt. quia etiam ſine eo, ſatis plana eſſet reſponſio. Sciſcitatio, vt illud: Theano ſtudioſa philoſophię Pythagoricę, interrogata à quodam, Quænam mulier à viro pura ad Cereris ſacra veniret? A ſuo, inquit, quævis ſtatim, ad alieno nunquam. Interrogationi ratio ſubijcitur, cum ſine vlla ad interrogatum reſponſione interrogatio adiunctam aut cauſam, aut conſilium, aut tale quid habet. Exempli cauſa: Socrates interrogatus, vtrumne Perſarum beatum eſſe iudicaret Regem, Non habeo, inquit, quid dicam: cum ignorem quomodo ſit inſtitutus. Reſponſiones ſunt, quæ neque interrogationem, neque ſciſcitationem, ſed ſermonem cõtinent, cui reſponſio accommodatur. Exempli cauſa, Plato, Diogene quondam in foro prandente, cum ab eo ad prandium inuitaretur, O Diogenes, quam bella eſſet tua, inquit, ſimpicitas, niſi ſimplicitas non eſſet. Neq; Diogenes enim interrogauerat vlla de re Platonem, neque ex ipſo Plato ſciſcitatur quicquam: ſed ſimpliciter ad prandium hunc ille vocat. in quo neutrum horum ineſt. Eſt præterea forma quoque alia, quæ ad dicta refertur. Duplex vulgo id vocant. Duplex autem Chria, quæ duarum perſonarum cõtinet effata: quorum altera quoque cum vna perſona, Chriam conſtituit. Vt, exempli cauſa Alexander Rex Macedonum, cum dormienti aſſiſteret Diogeni, dixit,

Sterte-

Digitized by Google

Stertere perpetuam non dignum eſt principe noctem.

Cui Diogenes reſpondit,

Cui populiq; ſalus, & tanta negotia curæ.

Nam & abſque reſponſione erat Chria. In facto Chriæ verſantur,quæ abſque dicto aliquem oſtendunt ſenſum. Quarum aliæ actiuæ,aliæ paſſiuæ ſunt. Actiuæ, quæ actionem notant aliquam. Ita Diogenes Cynicus philoſophus,guloſum cum vidiſſet puerum,cuſtodem eius ſcipione percuſſit. Paſſiuæ, quæ quid alicui euenerit,oſtendant. Tale eſt: Didymus tibicen deprehenſus in adulterio,de ſuo nomine ſuſpenſus eſt. Miſtæ ſunt,quæ communiter actionem denotant & paſſionem.ita vt actione perficiantur tamen. Vt, Pythagoras philoſophus interrogatus,quam longa eſſet vita hominũ, in tectum aſcendit, ac pauſulum deſpexit,hoc ipſo vitæ breuitatem innuens. Item Lacon à quodam,vbi Lacedæmoniæ regionis fines eſſent interrogatus,haſtam illi oſtẽdit. Atque hæ ſunt Chriarum formæ. Porro aliæ ſententioſe,aliæ demonſtratiue, aliæ iocoſe, aliæ ſyllogiſtice,aliæ enthymematice,aliꝫ vt exemplum, aliꝫ optatiue,aliꝫ ex coniectura,aliꝫ figurate,aliꝫ ambigue,aliꝫ cum traſſumptione,ſeu tranſlatione,aliꝫ coniunctim, ex quibuſcunq; tandem ſupra enumeratis modis compoſitę,proferri ſolent.Sententioſa eſt huiuſmodi: Bion Sophiſta vitiorum metropolin dicebat auaritiam.Demonſtratiua talis: Iſocrates rhetor familiares ſuos hortabatur,vt pluris facerent magiſtros quã parentes. Hos enim vitę tantum, illos etiam laudabilis vitę eſſe autores. Effatum enim ſuum cum demoſtratione extulit Iſocrates. Iocularis iſta: Olympias cum intellexiſſet,dicere Alexandrum,filium ſe eſſe Iouis, Non ceſſabit(inquit)iſte apud Iunonem me differre? Syllogiſtice,exempli cauſa,Diogenes philoſophus conſpicatus adoleſcentem nimio deditum cultui,Si viris(inquit)te exornas,miſer; ſi fœminis iniuſtus es. Enthymematice. Vt exempli cauſa: Socrates philoſophus, cum Apollodorus quidam eius diceret amicus,Iniuſte te morte Athenienſes condemnarunt; cũ riſu,Tune iuſte malles?inquit. Intelligitur enim, melius eſſe iniuſte quam iuſte condemnari,quod in Chria videtur prętermiſſum. Exempli modo,vt,in illo: Alexander Rex Macedonum,cum amici pecunias congerendas eſſe cenſerent, At pecunia (inquit) ne Crœſo quidem profuit. Optatiue, vt in illo, Damon ludimagiſter,qui loripes eſſet, cum furto ſibi calceos ſubductus audiuiſſet.Vtinam illi (inquit) congruant furi. In coniectura hoc modo: Alexander rex Macedonum,interrogatus à quodam,vbi haberet theſauros, Iſtic,inquit: ſimulque amicos oſtendit. Figurate ſic: Plato philoſophus, virtutis ramos è ſudore & laboribus aiebat naſci. Ambigue ita: Iſocrates rhetor,cum illi puer commendaretur,eoque qui commendabat quęrente,quibus inſtructum venire oporteret πιναχίου καὶ νοῦ reſpondit. id eſt, libro & mente. &, γραφιδίου καὶ νοῦ. Incertum interim, vtrum vellet. an, & codice & mente: an,noua tabella,nouoque ſtylo. In tranſlatione eſt Chria, cum id quod dicitur, atque interrogatur,alio quopiam transfer reſponſor. Vt Pyrrhus rex Epirotarum,quæſtione orta inter pocula, meliorne eſſet tibicen Antigenides, an Satyrus, Mihi quidem dux melior videtur, inquit, Polyſperchon. Coniunctarum autem formas eſſe

varias,

Digitized by Google

varias, cuiuis facile apparet. Nam vel ſententioſo ioco, vel exemplo coniecturali, vel ambiguo & tranſſumptione, vel denique alijs modis omnibus qui copulam admittunt, ſiue duo, ſiue plures in vnam aſſumantur Chriam, efficietur hæc connexio. Vt: Diogenes Cynicus philoſophus, conſpicatus adoleſcentulum de pariete in focum lapides mittentem, Deſine, inquit, puer ne ignarus forte tuum ferias patrem. Habet enim ſimul & coniecturam & iocum, quod ſic pronunciatur. Exercentur autem in hoc genere Chriæ adoleſcentes, enunciatione, flexione, acclamatione, contradictione. Sed & amplificamus Chriam, & cōtrahimus. aſſerimus, & deſtruimus, Ac enunciatio quidem manifeſta. Id enim fit, cum certam Chriam, quam fieri maxime id perſpicue poteſt, cum verbis, tum cæteris quæ requiruntur, efferre ſtudemus. Flexio autem multiplex eſt. Perſonas enim Chriæ in tres numeros mutare ſolemus. Neque hoc ſimpliciter. ſed vt vel vnius ad vnum, vel duorum ad duos, vel plurium ad plures. ac rurſum, duorum ad vnum, & ad duos, & ad plures, Propoſita enim Chria, Iſocratem Rhetorem ingenioſos diſcipulos Deorū filios dixiſſe, ſic eam flectemus. Primum quidem vnius ad vnum, hoc modo: Iſocrates Rhetor ingenioſum diſcipulum Deo genitum eſſe aiebat. Dulim ad duos: Iſti quo Iſocrates ambo Rhetores, binos quoſdam diſcipulos ingenioſos Deorum aiebāt filos eſſe. Plurium ad plures: Iſocrates Rhetores, ingenioſos Deorum filios aiebant eſſe. Ex quibus patet, quæ flectendi & in alias formas ſit ratio. Nam & in quinque transferuntur caſus. Verum quoniam aliæ Chriæ dicto, aliæ facto, aliæ vtroque conſtāt, & quaſi mixtæ ſunt, eorum autem & aliæ ſunt ſpecies, per ſingulas has flexionum exempla, docendi cauſa, deducere tētabimus. At recta quidem difficultatem habet nullam. Quævis enim Chria efferri per hanc ſolet. Genitiui autem talis erit flexio. Vt, exempli cauſa, ſi dicto conſtat Chria, addemus, *Dictum illud ad celebritatem peruenit*, aut, *Dictum celebratur illius qui dixit*. Quorum prius quidem poſt totius Chriæ relationem, recte inferetur. Exēpli cauſa, ſi dicamus, *Iſocratis rhetoris, qui ingenioſos aiebat diſcipulos Deū eſſe filios, dictum memoriæ mandatum eſt*. Poſterius autem mediæ inſeretur, cū iam aliquid efferre incepimus. Exempli cauſa, *Pittaci Mitylenæi, cum ex eo quæreretur, fugerentne Deos mala facinora, memoratur dictum, reſpondentis, Ne cogitationes quidem.* Ac illa quidem formula, *Dictum memoratur*, omnibus Chrijs quæ dicto conſtant, præter eam in qua ſponte aliquid effertur. huic enim altera congruit, *Dictum memoriæ mandatum eſt*. Si facto conſtet Chria, paſſiuæ quidem hæc formula, *caſus memoriæ mandatus*, actiuæ autem, *factum memoriæ mandatum*, apponetur. Similiter fiet & in miſto genere. Atque horum vnumquodque ad finem Chriæ apponi opportebit Vt, *Didymi tibicinis, deprehenſi in adulterio, & de nomine ſuſpenſi, caſus memoriæ mandatus*. Et, *Diogenis Cynici philoſophi, qui guloſum vidit puerum, eiuſq; præceptorem ſcipioni ferijt, factum memoriæ mandatum.* Datiuo in omni forma Chriarum, excepta paſſiua, *placuit*, aut, *viſum eſt*, aut, *ſubijt*, aut, *venit in mentem*, aut ſimile quid addemus. Exempli gratia, *Diogeni philoſopho, cum adoleſcentem, diuitem illum quidem, ſed male inſtitutum videret, dicere placuit, Hæ quidem argento tinctæ*

ſordes ſunt. In paſſiua addemus, *accidit.* Vt ſi dicamus, *Didymo tibicini in adulterio deprehenſo accidit vt de nomine ſuſpenderetur.* Accuſatiuo caſui, in omni Chria *aiunt*, vel *fertur* addemus. Vt exempli cauſa, *Diogenem Cynicum philoſophum, cum adoleſcentulum, diuitem illum quidem, ſed male inſtitutum, vidiſſet, dixiſſe aiunt*, aut, *fertur, Iſta quidem argento imbutæ ſunt ſordes.* Iam vocatiui vſus & ipſe manifeſtus. Vt ſi ad eum, cui tribuitur, tanquam præſentem, inſtituatur ſermo. Vt, exempli cauſa, *Diogenes Cynice philoſophe, cum adoleſcentulum diuitem male inſtitutum videres, dixiſti, Iſtæ quidem argento imbutæ ſordes ſunt.* Acclamatione vti poterimus, ſi, vt proprie breuiterque dictum, id quod Chria continetur, admittamus: aut, vt verum, aut vt honeſtum, aut vtile, aut, quod & alijs idem placuerit viris claris. Vt, cum Euripides Poeta, noſtrum vniuſcuiuſque animum dixit eſſe Deum. Acclamatio à vero ſic ducetur: *Eſt enim profecto animus vnicuique Deus, ad ea quæ proſunt, nos impellens, ab iiſque quæ nocent, dehortans.* Ab honeſto ita: *Quam enim honeſta oratio? vt vnuſquiſque arbitretur noſtrum, non auro argentove, ſed intra ſeſe incluſum eſſe Deum.* Ab vtili ſic: *Ne dum longe, videlicet, abeſſe vltorem credimus, facile ad mala impellamur.* A clarorum virorum teſtimonio, ſi ſapientem, aut legiſlatorem, aut poetam, aut alium quemlibet magni nominis, conſentire cum eodem oſtēdamus dicto. Vt, exempli gratia, ad eam, quam iam dixi, Chriam illud adferre licebit:

Namque ea mens cuique eſt, hominum pater atque Deorum
Quam format, cunctoſq; iubet pro tempore habere,

Contradictiones Chriarum ex contrarijs locis ducuntur. Vt, exempli cauſa, aduerſus Iſocratis dictum, *Pluris faciendos eſſe magiſtros, quam parentes: quod hi vitam modo, illi & laudabilem nobis dedere.* In contradictione enim dicetur, ne potuiſſe quidem laudabiliter viui, niſi à parentibus vita contigiſſet. Sciendum autem, non in omnibus Chrijs contradictioni eſſe locum, cum nonnullę ita bene & inculpate ſint dictæ, vt reprehenſioni non ſit locus quemadmodum ne laudari quidem omnes poſſint, cum in quibuſdam ſtatim abſurditas ob oculos verſetur. Dilatatur Chria, ſi interrogationem ex ijs quæ in ea ſunt, reſponſionemve, vel factum, vel caſum, quem continet, producamus. Contraria vero ratione contrahitur. Vt exempli cauſa: *Epaminondas cum ſine liberis moreretur, dicebat amicis, Duas ſe filias, Leuctricam & Mantineenſem relinquere victoriam.* Hanc ſic dilatabimus: *Fuit quidem Epaminondas dux Thebanorum, & pacis tempore vir magnus, orto autem inter ſuos & Lacedæmonios bello, multas præclaraſq; res animo ingenti geſſit. Nam & in Leuctrica pugna cum Bœotis præeſſet, hoſtes vicit: miles autem cum pro patria decertaret, ad Mantineam, mortem oppetijt. Vbi ex vulnere morti proximus cum eſſet, inter queſtus ac lamentationes amicorum, cum ob alia, tum quod ſine liberis vita defungeretur, arridens, Satis, amici, lachrymarum eſt, inquit. ego enim immortales duas filias relinquo. Patriæ victorias de Lacedæmonijs nimirum: alteram Leuctricam, vetuſtiorem, alteram vero quam ad Mantineam modo obtinui, poſteriorem.* Deſtruendæ autem Chriæ, vel quod ſint obſcuræ, vel quod aliquid abundet in ijs aut deficiat, vel quod fieri non poſſit, quod in ijs continetur.

Tum

Digitized by Google

Tum vt improbabiles, vt falſæ, vt inutiles, vt nullius momenti, vt turpes. Vt obſcura, deſtrui poterit Iſocratica, ſi dicamus, non explicuiſſe illum quibus ad percipiendam dicendi artem opus eſſet puero, qui ipſi commendaretur. Talis & Didymi tibicinis. Non enim conſtat omnibus quid illud ſit, *De nomine eſt ſuſpenſus.* Vt abundantes deſtruemus, ſi aliquid contineat quo ſublato non minus manere Chria videatur. Exempli cauſa, *Socrates philoſophus interrogatus, iudicaretne beatum eſſe regem Perſarum, negauit, ſe habere, quid diceret: neſcire enim, quo pacto inſtitutus eſſet. Superuacuum enim fuiſſe, quod non modo ad interrogatum reſpondit, ſed & reſponſioni rationem ſubiecit, neque expectauit dum amplius ex eo quæreretur. id quod minime pro Socrate homine dialectico fuit.* Vt deficiens, deſtruetur; Demoſthenicum, exempli cauſa illud, ſi dicamus: *Nō rectè ab illo dictum, Rhetoricam nihil eſſe aliud quam actionem: cum & multa requirantur alia. Et ſi fieri non potuiſſe dicamus, vt aliqui, quod affirmat Iſocrates, quamuis ingenioſi fuerint, ex dijs facti ſint homines.* Ab improbabili deſtruemus ita: *Non veri eſſe ſimile, Antiſthenem, qui eſſet Atticus, dixiſſe, Athenis ſe Lacedæmona veniſſe de gynaceo in virorum domicilium.* A falſo ſic: *Non verum eſſe quod Bion dixerit, auaritiam metropolim eſſe vitiorum, cum ſit potius amentia.* Ab inutili ita: *Perperam monere Simonidem, vt ludamus in vita, neque vlli rei ſtudeamus ſerio.* Nullius momenti dicetur ea eſſe, in qua non apparebit quid ad vitam conferre dictum poſſit. Turpis ea, quæ turpidinem & probrum complecti demonſtrabitur. Vt, Sybarita quidam, animaduertens quantis in laboribus vitam degerent Lacedæmonij, *Non eſſe mirandum, aiebat, quod mori in bellis non formidarent, præſtare enim mori, quam ſic uiuere.* Prorſus enim molle ac indignum viro dictum id videri. Atq; ab his quidem Locis deſtructiones ducentur. Argumentorum autem præcipuas quaſque adhibebimus probationes: idq; ex omnibus, ex quibus fieri poterit, Locis. Ignorari quippe non opportet, fieri nō poſſe, vt in omnibus ex omnibus procedant Locis. Sed & idem in ijs quem in Locis perſecuti ſumus, ordo ſeruandus erit. Sūt autem & in aſſerendis ac deſtruendis ſententijs Loci. Cæterū ijs qui aliquem fecere iam progreſſum, etiam ex ijs quæ vbi de Theſi agemus, tradituri ſumus, argumenta deſumenda ſunt. Illud quoque tenendum, vt exordium ſit tale, vt alijs quidem accommodari poſſit Chrijs, illi tamen ſit proprium de qua agitur. Quod tam in Chria, quam in Fabula, alijſque omnibus conſequemur: ſi de vno atque altero præcipuorum capitum exordium ducamus. Poſt exordium ipſam Chriam exponemus. Deinde argumentorum ſequentur probationes. Vbi & amplificationes, & digreſſiones, & leniores, quicunque poterunt, adhibendi affectus.

Cap. VI.

De Deſtructione & Aſſertione.

DE Deſtructione & Aſſertione diximus, eoſdem locos vſurpari, qui in Fabulis. In Narrationibus autem, etiam illi qui à falſo & ab eo quod

fieri non poteſt ducuntur, apti ſunt loci. Quod à Thucydide factum, cum Hipparchum ab Harmodio & Ariſtogitone ſublatum, refellendo negat. Et Herodotus aduerſus eos, qui affirmarent materno genere Cambyſen eſſe Aegyptium. Nō poteſt autem ſemper fieri, vt quis ex omnibus locis in Narrationibus argumentorum probationes petat. Si quando tamen ita res tulerit, hunc ordinem ſequemur. Primum, vt ab obſcuro argumentemur: quod quibus modis faciendum ſit, in tractatu de Perſpicuitate oſtendemus. Secundo, ab eo quod fieri non poteſt; fieri enim non poſſe, vt, quemadmodum author tradidit, res geſta ſit, oſtendemus. vel quia omnino non patitur vt fieret natura, vel quia tempore non conueniant quę commemorantur. Vt, exempli cauſa, aduerſus eos, qui Buſirin ab Hercule interfectum aiunt: vndecim enim ætatibus antiquiorem facit Buſiridem Hercule Heſiodus. Adhæc enim atque alia eius generis refutanda, argumenta nobis Arionis ſuppeditabunt Elenchi. Quin & ſi rem eiuſmodi eſſe, vt fieri poſſit, concedamus, non tamen veriſimile dicemus. Sin manifeſte verum ſit, ibi demum nunquid deſit aut ſuperſit videbimus. tum vtrumne in narrando ipſe à ſe diſſentiat autor. Sed & ſeriem capitum ſi parum fuerit conueniens, reprehendemus. Quæ omnia ſi, quemadmodum oportet, ſe habebunt, ad indecorum & inutile deueniemus. Sunt enim quædam, quæ quemadmodum fieri non debebant, ita poſtquam facta ſunt, ſilentio inuolui præſtat. Vt, ſi quis Aiacem Locrenſem ita impium fuiſſe erga Mineruæ numen, vt fertur, oſtendat: ac deinde, neq; in nauigatione, neq; domi quicquam illi triſte accidiſſe, ſenemque vita felicite defunctum probet. Facilius autem argumentorum ſuppetent probationes, eæque plures, ſi per ſingulos quos tradidimus, eatur Locos. vt ne ipſa quidem negligamus (ita enim vocant) elementa, ex quibus omnis actio conſiſtit. Ea autem ex ijs, quæ diximus, ſumuntur. Ex perſona videlicet, negocio, modo, tempore, loco, cauſſa. Proponamus autem nobis improbabilem, exempli cauſa, quem tractemus locum. Deſtructuri igitur ab improbabili narrationem, ita procedemus. Primo, neque perſonam, neque id quod factum, neque ipſum in quo factum dicitur Locum, quicquam probabile habere oſtendemus. Eademq; ratione & de tempore, & modo, & ipſius actionis cauſa agemus. Vt de Medea, à perſona. Non eſſe veriſimile matrem malo affeciſſe liberos. A facto, Non veriſimile interfectos ab ea liberos. A loco, vt, exempli cauſa, Nuſquam minus quam Corinthi, vbi Iaſon liberorum pater ageret, facturam id fuiſſe. A tempore, Nemini facile perſuaderi poſſe hoc eo tempore auſam, quo aduerſa vteretur fortuna, vtpote & viro priuata, & peregrina; Iaſon autem ex Glaucæ, quam Creontis eius loci filiam fuiſſe conſtat, coniugio longe maiorem ſibi potentiam conciliaret. A modo, vt, exempli cauſa, De occulta nece potius cogitaturam fuiſſe; neque gladio, ſed potius veneno, vtpote veneficam, id aggreſſuram. A cauſa: Non veriſimile, ob iram, quam aduerſus maritum conceperit, liberos interemiſſe: non enim ſolum Iaſonem, ſed & ipſam ſimul hoc ſpectaſſe facinus: atque eo magis ipſam, quanto minus firmo ani-

mo aduerſus eiuſmodi caſus ſunt fœminæ. Eodemque modo & per ſingulos eundum locos, ita vt ex ſingulis quoque, quibus fieri poterit, elementis, argumenta deſumantur. At è contrarijs aſſertiones petemus locis. Qui ijdem & narrationibus fabuloſis, & poeticis hiſtoricíſque, qui de Dijs atque heroibus ab illis referuntur, quin & ijs quoque in quibus naturalis immutatus modus eſt, conueniunt, qualis fingitur à quibuſdam Pegaſus. Erichthonius, Chimæra, Hippocentauri, & ſimilia alia. Verum huiuſmodi fabulas, nō modo deſtruere, ſed oſtendere quoque vnde manarint hæc figmenta, firmioris, quam in pleriſque reperitur, progreſſus eſt. Quod quidem ab Herodoto libro ſecundo, in narratione columbarum, videmus, vbi egreſſas ex Aegypto, vnamque Dodonam, alteram ad Ammonis perueniſſe oraculum oſtendit. Explicanſque fabulam, Virgines ſacerdotes ex Thebis Aegyptiacis fuiſſe ait, earumque alteram, Dodonæ, alteram apud Ammonis venijſſe templum. Quia vero oratione barbara, indigeniſq; vterentur ignota, famam obtinuiſſe, aues eſſe. Item Plato in Phædro, vbi cum narrationem de Orithya & Aquilone non admitteret, Orithyiam à vento Aquilone, cum Pharmacia ludentem, de proximis rupibus præcipitatam eſſe: atque ex eo illam de raptu Boreæ, ſiue Aquilonis. natam eſſe fabulam. Quo & Ephorus libro quarto vtitur: Tityum, ſempe, hominem impium & violentum, Panopenſium fuiſſe tyrannum. Pythonem autem ferum natura, cognomento Draconem. Qui autem quondam Phlegram, nunc Pallenem vocatam tenuerint, crudeles ſacrilegoſque homines fuiſſe, qui & humanis veſcerentur carnibuis, appellatoſque Gigantes. atque hos capta Troia ab Hercule ſubactos. Quod autem parua manus fuerit cum Hercule, illorum vero copiæ ingentes, ideo hanc victoriam diuinum eſſe opus omnibus viſum, quæque eiuſdem generis alia. Vt cum ea quæ de Lycurgo, Minoe, Rhadamantho, itemque Ioue & Curetibus, aliæq; Creticæ eodem modo fabulæ, ſcite exponuntur. Sed & totus Palæphati peripatetici, qui De incredibilibus inſcribitur, extat libellus, in quo explicantur iſta. Vt, exempli cauſa, eos qui equis vecti ſunt, habitos Centauros. De Diomede autē Thrace, qui alendis equis patrimonium exhauſerat, vulgatum, ab equis fuiſſe interemptum. Eodemque modo à canibus Actæonem De Medea vero, quæ canos tingeret mortalium, nigroſque redderet, diſſecto illam ſenes conijcere in ahenum, ijſque iuuentutem reſtituere, ex fama celebratum, aliaque his ſimilia.

Cap. VII.

DE LOCO COMMVNI.

LOcus eſt oratio, qua augetur factum de quo conſtat: ſiue id delictum, ſeu præclarum ſit facinus. Eſt enim Locus duplex. Vnus quidem aduerſus improbi-

probitatis reos. Vt, contra proditorem, homicidam, luxurioſum. Alter vero ijs qui præclari aliquid geſſerunt. Vt de tyrannicida, bene de Republica merito, aut legiſlatore. Cęterum Loci alij ſimplices, alij non ſimplices. Et ſimplices quidem ij, quos modo diximus. Non ſimplices. Aduerſus imperatorem proditorem: aut ſacerdotem ſacrilegum, qui iniuriam intulit; in feſte, in fano. Item, de tyrānnicida fœmina. Locus autem dicitur, quod hinc tanquam ex loco quodam progreſſi, facile aduerſus eos qui ſe deliquiſſe fatentur, argumenta inueniamus. Ideoque nonnulli locum nihil aliud quam inſtrumentum ſiue fontem argumentorum quibus aliquid probatur, definierunt. Ita accuſatio eius qui intulit iniuriam, & communis, & in cōfeſſo ponetur, ideoque & locus dicitur. Ex qua tanquam ex loco, vt iam dicebamus, progreſſi, facile quæ aduerſus Cononem aut Midiam dicamus, inuenire ſolemus. Hoc autem inter locum, laudationem item ac vituperationem, intereſt. Quod hæ & circa perſonas & demonſtrationes verſentur certas. Qualis laudatio Helenæ Iſocratea, & alicubi Eurybatæ vituperatio. Loci autem rerum tantum, non certarum aut definitarum ſint; Sed nec demonſtrationes habent. In laudando aut vituperando, exordia quidem negligenda ſunt. Ipſe vero locus ita adhiberi vult, vt fragmentum aut præcedentis alterius pars orationis quaſiq; eminentior quædam eorum quæ demonſtrata ſunt concluſio videatur. Quare ita ordiemur locum, vt ad alia ſupradicta applicemus. Quemadmodum in illo Aeſchinis: *Nolite exiſtimare, Athenienſes, miſeriarum initia a Dijs, ſed ab hominum potius improbitate prouenire.* Et illud Demoſthenis: *Homines ſcelerati & vani & execrandi, qui mutilaſſent ſuas quiſque patrias: qui libertatem prius Philippo, dein Alexandro propinaſſent: qui ventre & obſcœnitate felicitatem metirentur.* Et rurſum: *Morbus, ô Athenienſes, grauis ac difficilis, qui ſingularem & fortunam & curam veſtram requirit, Græciam inuaſit.* Ac ſunt multi, qui & exordijs ſtudeant, & exponere rem non omittant, quaſi narrent: quique his & amplificationes addant. Qui ſanè etſi operæ precium in his facere videntur, huius tamen proprietatem exercitij incruſtare haud recte videntur. Argumenta autem, tum ex voluntate eorum qui aliquid fecere, tum ex magnitudine eorum quæ fecere, tum ex ijs quæ illorum cauſa patiuntur vel alij, vel ipſi, petenda ſunt. Sin, vt in cauſa, & exordio vtamur & narratione; poſt exordium, & commemorationem delicti, ad argumentorum probationes accedemus. Exempli cauſa, primum à voluntate illius quem accuſamus, quam prauam eſſe oſtendemus. Secundo, ab eo, in quo commiſſum eſt delictum: cuius neceſſitatem probabimus. Vt ſi furem accuſemus, pecunijs inſidiatum oſtendemus, quæ quantopere omnibus ſint neceſſariæ, probabimus. Vt potequarum cauſa, & terram colimus, & nauigamus, omniaque in vita agimus. Omnia enim pecuniarum cauſa agimus: quæ vitæ ſuſtinendæ comparamus. Deinde, quod latè pateat delictum, atque vnum verbo quidem eſſe: re ipſa autem plurima complecti. Quemadmodum, exempli cauſa, adulterium, vim, furtum, vitium tori, aliaque innumera complecti. Poſt hæc à comparatione: idque trifariam. Nam quod accuſatur à

nobis;

Digitized by Google

nobis; aut cum maiore, aut cum minore, aut pari confertur. Si ergo cum maiore inſtituetur comparatio, dabimus operam, & minus augeamus, & maiori par eſſe oſtendamus. Vt exempli cauſa, par delictum eſſe furis & ſacrilegi: quod eadem ambo cupiditate ad furandum impellantur. neque fur, ſi occaſio offeratur, ſacra rapere, neque ſacrilegus furari vereatur. Sin cum minore comparatio inſtituatur, ſic agemus: Si fur, qui hominum res aufert, punitur, quanto iſte dignior pœna, qui deos ſpoliat? Si par pari conferemus, ita: Si non parcimus ſimilis delicti commiſſo, ne iſti quidem ignoſci par fuerit. Deinde à contrarijs: Quippe ſi vir fortis honore eſt dignus, pęnam meretur proditor. Deinde de ijs quæ factum antecedunt. Vt in exemplo de ſacrilego. Prius multa hunc in viuos, multa in mortuos ante auſum veriſimile eſſe, quã impietate erga Deos ſe obſtringeret. neq; dubium quin plurima ex illis quæ debentur Dijs, vt ferias, ſacra, vota, ac ſimilia, neglexerit. Item, ſæpe peieraſſe, & ſimilia. poſt hæc, de exitu, ijsq; quæ ſequuntur actionem. Exempli ergo, poſt patratum ſacrilegium, inornata manere fana, ipſum ſacrilegum in voluptatibus conſumere prædam. Item, ob delicta talia, iras Deorum in ciuitates, peſtilentiam & famem, interitus exercituum, atque alia huiuſmodi, graſſari. Tum de indignitate. Vt, factum non poſſe emendari. poſtremo, à legumlatorum aut poetarum iudicijs. Vbi præclaras ſapientum virorum adferemus ſententias. Exempli cauſa, videri etiam illis improbum eſſe facinus, & dignum ſupplicio. præ omnibus autem, cum vim criminis factique, aut magnitudinem damni quod alteri illatum eſt, exponemus, accurata vtriuſq; delineatione vtemur. Vt, contra homicidam. Deſcribemus enim, qualis is à quo cædes commiſſa fuerit: quàm crudeliter & duriter eam commiſerit. homo qui eſſet, hominem interemiſſe: ſtrinxiſſe enſem, plagam impegiſſe. Et, ſi forte euenit, vt primum vulnus nõ eſſet lethale, ingeminaſſe ictus, ac illius quem mactaret cæde, polluiſſe manus. Tum & quas ille emiſerit voces, modo obteſtans homicidam, modo opem, cum hominum tum Deorum, implorans. & quæ alia ſunt huiuſmodi. In locis autem non ſimplicibus, etiam ab ijs quæ iam diximus, argumentum ſumemus. Niſi quod maior ibi copia, propter ſimplicium coniunctionem futura. Sic exempli cauſa, ſi dicamus, proditorem per ſe quidem ira dignum; multò autem magis ſi imperator fuerit. Id vero præter ſpem quod accidit, copioſa dicendi facultate non inſtruet. Atque ex his, & amplificatio delictorum, eorum autem quæ laude digna ſunt, è contrarijs ſumetur.

Cap. VIII.

DE LAVDATIONE.

Laudatio, eſt oratio, quę actionum præclararum aliorumque bonorum in certa aliqua perſona repræſentat magnitudinem. Quod ſi viuentibus tribuatur,

buatur, peculiariter Encomium, ſi mortuis, Epitaphium, ſi Dijs, Hymnus, proprie nunc dicitur. Cæterum, ſiue viuentes, ſiue mortuos, ſiue heroas & deos celebrare quis voluerit, vna eademq; ratio orationis erit ac via. Dictum autem eſt Encomium, ab eo quod veteres in hilaritate potus ocijque oblectatione, laudibus ornare Deos inſtituerint. Porro quia laudes maxime debentur bonis, bonorum autem alia ſunt animi ac morum alia corporis, alia fortunæ, hęc tria eſſe patet, è quibus Laudationum ſeppeditatur copia. Atque externorum quidem bonorum, primum nobilitas. quæ duplex. vna ciuitatis gentiſque, & laudatæ Reipublicæ: altera parentum & propinquorum. Poſt hæc, inſtitutio, amicitia, exiſtimatio, magiſtratus, opes, liberum felicitas, honeſta mors. Bona corporis, ſanitas, vires, forma, ſenſus integri. Bona animi, honeſti mores, quæque hos ſequuntur actiones. vt, prudentem, moderatum, fortem, iuſtum, pium, liberum, magnanimum eſſe, atque alia ſimilia. Laudabiles autem actiones ſunt, quæ etiam poſt obitum laudantur. Viuis quippe adulari haud raro mortales ſolent. Et contra, quæ viuentibus adhuc nobis laudem merentur, ſupraque vulgi inuidiam aſſurgunt. Nam inuidia viuorum aduerſus æmulum, vt recte Thucydides. Item, quæ aliorum, non noſtra: quæque honeſti, non vtilitatis aut voluptatis cauſa aguntur. Et, in quibus propria moleſtia, emolumentum commune. Et ex quibus magna multis obtigere commoda: quæque benemeritis, inprimis autem vita functis, tribuuntur. Quare & vindictæ, & pericula amicorum cauſa ſuſpecta, laudantur. Fiunt & occaſione actiones laudabiles. Et, ſi quis ſolus, aut omnium primus quid fecit: aut ſi, quæ nemo: aut ſi magis quam alij: aut cum paucis: aut ſupra quam vel ætas, vel ſpes tulit: vel ſi quis poſtremo, cum labore aliquid, aut contra facillime et exiguo abſoluit tempore. Sed & clarorum virorum adducenda erunt iudicia. Vt, ſi, cum Helenam laudamus, hanc à Theſeo alijs præpoſitam fuiſſe. Sed & vtile, ex præteritis coniecturam de futuris inſtituere. Vt ſi quis de Alexandro Macedone dicat, Quid hic effeciſſet, qui tantas ac tam multas ſubegit gentes, ſi vel ad exiguum ſuperuixiſſet tempus? Et quemadmodum iu Philippi Laudatione Theopompus, Philippum, ſi pergere, vt inſtituiſſet, ſuique eſſe ſimilis vellet, totius Europæ imperio mox potiturum. Neque inutile, eorum qui ad magnam nominis celebritatem peruenerunt meminiſſe, eumque ijs quos laudamus res eorum geſtas comparare. Elegans eſt nonnunquam, & à nominibus, aut ſimili appellatione, aut cognomento, deducta Laudatio. niſi vbi putidum aut plane ridiculum fuerit. A nominibus. Quale Demoſthenis. Si exempli cauſa, δημοσθένης, hoc eſt, robur populi, fuiſſe dicamus. A ſimili appellatione: cum idem alicuius cum alio iam celebrato reperietur nomen. A cognomento: vt, Pericles Olympius cognominatus, ob magnitudinem rerum laudabiliter geſtarum. Atque hi ſunt ex quibus laudes deducendæ ſunt Loci. Vtemur autem hoc modo. Poſt exordium ſtatim de nobilitate, deque alijs externis tam corporis quam fortunæ dicemus bonis. Danda tamen opera, ne ſimpliciter ac temere oratio inſtituatur. Sed & in ſingulorum eorum commendatione quam non temere ſed potius prudenter ijs quis vſus ſit, oſtendemus. Minime enim ea quæ non ſibi

debent

Digitized by Google

debent ſed fortunæ homines, laudamus bona. Vt exempli cauſa: in rebus ſecundis moderatum fuiſſe & benignum: denique eundem erga amicos, qui ante, & iuſtum. Sed & corporis moderate vſum eſſe bonis. Quod ſi nullum ex ijs quæ diximus habuerit bonum, tum neque fortunæ iniquitate animo fuiſſe illum humili, neque in paupertate iniuſtum, neque in egeſtate ſeruilem dicemus. Item, ex vrbe natum exigua, ad eam perueniſſe claritatem: Vt Vlyſſem & Democritum. & in Republica corrupta educatum, non fuiſſe deprauatum, verum omnium ſui temporis fuiſſe optimum: quemadmodum in paucorum dominatione Plato. Laudãdus quoque, ſi qui ex humili ortus familia, ad magnitudinem peruenit inſignem. qualis Socrates Phænaretes obſtetricis & Sophroniſci fatuarij filius. Sed & admiratione dignus, qui ex arte abiecta aut fortunę iniquitate eo peruenit, vt præclari aliquid effecerit. quemadmodum de Herone ſutore, & Leontio meretricula, quam ad philoſophiam ſe contuliſſe accepimus, refertur. Tum qui rebus fortem ſe exhibuit aduerſis. Fortuna quippe aduerſa maxime elucet virtus. Ita actiones, & quæ feliciter ab eo geſta ſunt, commemorabimus. Nõ tamen vt virtutes ſingulas poſt ſingulas ſimpliciter ponamus. Vbi monere poterimus, ſingulas nos actiones ſingulis ſubiungere virtutibus. Ita vt primo, exempli cauſa, moderatum fuiſſe dicamus, ac deinde, quid moderate egerit, oſtendamus. Eodemque & in alijs virtutibus modo. Calumniæ autem omnino omittendę (vt quæ delictorum excitant memoriam) aut occulte admodum commemorandæ ſunt. ne Laudationis loco defenſionem imprudenter ſcribamus. Defendere enim reos criminis; qui excellunt autem bono aliquo, laudare oportet. In animorum autem Laudationes, vt mellis, ſanitatis, virtutis, & ſimilium, pari proſequemur ratione. & prædictis, ita vt fieri id poterit, inſiſtemus locis. Atq; hinc Laudationes quidem, ex contrarijs vero his, Vituperationes deducendæ ſunt.

Cap. IX.

DE COMPARATIONE.

Comparatio, eſt oratio, quæ id quod melius aut deterius proponit. Fiunt autem Perſonarum comparationes vel Rerum. Perſonarum, vt Aiacis, Vlyſſis. Rerum, vt Sapientiæ, Fortitudinis. Verum quia ſic perſonam vnam alteri anteferimus, ad res vt reſpiciamus, & ſi quod aliud in ea ſit bonum; ideo vna vtriuſque eſſe poteſt ratio & methodus. Primo autem hoc tenendum, Non inter ea quæ nimium inter ſe differunt (ridiculus enim eſſet, qui de Achille dubitaret & Therſite) ſed inter ſimiles, inſtitui comparationes, deque ijs, de quibus, vter alteri ſit præferendus, dubitari poteſt: quia alterius ad alterum vix apparet excellentia. Quare cum perſonas committemus, primo nobilitatem, inſtitutionem, fortunam liberorum, Magiſtratus, exiſtimatio-

nem,corporis habitum,quæq; alia ad corpus & externa bona, ſupra cum de Encomio, ſeu Laudatione,egimus,ſpectare diximus,inter ſeſe contendemus. Deinde & actiones committemus.Ita,Vt præſtantiores,quæque plurimorum maiorumque bonorum extiterunt cauſæ, quæque firmiores, ac diuturniores, & quæ maxime opportuno euenerunt tempore,& quæ niſi eueniſſent,damna maxime haud dubio fuiſſent euentura, præponantur cæteris. Tum & eas, quæ ex inſtituto, ijs,quarū cauſa neceſſitas eſt aut foruna: tum & quas pauci aut nullus,ijs quas multi. Quippe cum communes aut vulgares,laudem vix merentur. Et in quibus labor exhauſtus,ijs in quibus facilia fuere omnia. Et præter ætatem vireſque geſtæ,præferendæ ijs quæ cum magis eſſet integrum, à quo quam profectæ ſunt. Calumniæ & reprahenſiones, quemadmodum iam ante in loco de Laudatione diximus,aut omittēdæ,aut quam breuiſſime commemorādæ ſunt.Magiſq; aduerſarij,reprehendendæ aut irridendæ ſunt. Hoc enim ab Hypotheſi,ſeu cauſa, differt Comparatio, quod in iſta, præterquam quod præclaras eius quem Laudamus, commemorantur actiones,aduerſarij quoque irridentur : hæc nihil tamquam eorum quæ laudantur ſpectare excellentiam videtur. Ac quibuſdam forte ridiculum videbitur,in ipſa actionum comparatione,nobilitatem aut ſimile quid velle quærere. Cum nihil vetet, aliquid quod loco ſit illius, adhibere. Vt ſi quis vel autores eatum primos, vel naturam, vel locum inquo producuntur, extollat. Vt exempli cauſa, ſi quis ſanitatem Apollinis eſſe dicat filiam. quandoquidem medicus hic Deus. Aut mel cœlitus differri. ſiquidem pleriſque ex rore conſiſtere videtur. Aut certe,ex præſtantiſſima afferri vrbe, cum laudatiſſimum mel Attica producat. & ſi quæ huiuſmodi. Poſt hæc commoda, quæ ex alterutro quæ comparantur proueniant, commemoranda. Ac meliores quidem comparationes ex his inſtituentur. Ex contrarijs autem. Vt,exempli cauſa,vbi duo fugienda ſunt,vtrum ſit deterius quæremus.Vt amentiæ,exempli cauſa,& doloris.Atque vnius quidem ad alterum ſic inſtituetur comparatio. Plurium vero ad plura,duobus fieri plerunque ſolet modis. Vnus, cum, quæ ſumma ſunt in ijs quæ committimus, inter ſe comparamus : atque ex eorum comparatione, eodem modo totum genus ad totum habere ſe volumus Vt ſi,exempli cauſa, quod ad fortitudinem, virile genus cum muliebri contendamus, virumque fortiſſimum cum fortiſſima committamus fœmina, atque vtrum præcellere oſtendamus, ex eo de totius generis præſtantia,iudicari velimus. Ac ſi muliebri ſexui præferri virilem velimus, ita hoc inſtituemus. Themiſtoclem, tanquam ſexus noſtri,quod ad virtutem, exemplum, cum Artemiſia,vt fœminarum fortiſſima,committemus. Quod ſi fortior Artemiſia Themiſtocles, idem de toto fœminarum ac virorum ſexu inferemus. Sin muliebrem ſexum virili præferri ſit animus, Tomyrim, vt fœminarum fortiſſimam, Cyrum, vt virorum ſumemus. Vt ſi Tomyris fortior ſit Cyro, fœminarum quoque ſexus hac virtute præſtantior virorum habeatur. Alter modus. Si non vnum vel duos eorum qui excellunt,committamus,ſed illud, ſiue genus ſiue ſexum, in quo plures ſunt qui celebrantur aut excellunt, præferamus. Vt ſi plures viri fortes ſiat

quam

quam fœminæ; vniuerſum quoque ex hoc virorum ſexum vniuerſæ mulierum præferamus. Non enim ſequitur, ſi Tomyris Maſſagetis, aut Sparedra Amogi Sacarum regis vxor, Cyro, vel Semiramis certe Zoroaſtre Bactrio, ſi fortior, totum muliebrem ſexum, virorum eſſe præferendum. Cum vna duæve tales fortaſſe extiterint fœminæ, multi autem tales ſint viri. Orationum autem talium, formæ ſunt duæ. Nam aut de ſingulis quæ in comparationem veniunt, peculiariter verba faciemus: aut ſimul de vtroque, ita vt alterum præferamus. Quemadmodum, exempli cauſa, in Sympoſio Xenophon, cum amorem animæ cum amore corporis contendit: ſed ita vt illum anteponat.

Cap. X.

De Proſopopœia, quam Conformationem dixere.

PRoſopopœia eſt Perſonæ, cum oratione tam illi quam rebus, de quibus agitur citra controuerſiam conueniente introductio. Vt, exempli cauſa, oratio, quam maritus aliquis peregre ab vxore diſceſſurus habeat. Aut Imperatoris, qui ad ſubeunda pericula adhortetur milites. Quod & interdum incertis fit perſonis. Vt, oratio Cyri cum in Maſſagetas expeditionem ſuſcipit. Aut quæ Datis poſt prælium Marathonium ad Regem reuerſus dicere potuit. Ad quod exercitiorum genus, & Panegyricarum orationum, & cohortationum, & epiſtolarum formæ referri poſſunt. Primum igitur omnium, & eius perſona qui verba facit, qualis ea ſit, & eius ad quem fiunt, hic conſideranda erit. Conſiderabimus & ætatem, occaſionẽ, locum, fortunam, rem ſubiectam, de qua habenda eſt oratio. Tum id dabimus operam, vt conueniens ſingulis illorum ſit oratio. Alia enim aliam ætatem, neque eadem ſenem ac iuuenem decent. Atque oratio quidem iuuenis, ſimplicitate & modeſtia; ſenis, prudentia peritiaque temperabitur. Alia item ob diuerſitatem ſexus viro, alia mulieri; alia ob fortunam diſſimilem ſeruo, alia libero conueniet oratio. Alia ob diuerſum vitæ inſtitutum militi, alia agricolæ. alia ob conſtitutionem animi amatoris, alia erit continentis. Alia ratione gentis Spartani, breuis & dulcis: alia Attici, vt hominis multiloqui. Quinetiam barbare multa proferre, licet Græce ſcribat, Herodotum videmus, quod barbarorum exprimat ſermonem. Sed & alia loca, & tempora, alia decet oratio. Neque enim eadem in caſtris & pro concione, neque in bello & pace, neque à victoribus & victis. vt cætera, quæ à perſonis pendent, omittam. Sed & rebus ſingulis conueniens applicandum erit dicendi genus. Quod quidem maxime aſſequemur, ſi nec de magnis humiliter, nec de paruis elatè, nec de vilibus grauiter, nec de arduis diſſolutè, nec de turpibus audacter, nec de triſtibus exquiſite diſſeremus, ſed quod ſingulis maxime conueniet tribuamus. ita vt & decorum ipſius perſonæ, & morũ, & temporis, & fortunæ, cæterorumque quorum hactenus meminimus, habeatur

ratio. Cum vero varia perſonarum, itidem vt rerum, ſit differentia, (nam aut poſtulamus aliquid, aut adhortamur, aut conſolamur, aut deprecamur, veniãque petimus delicti, aut ſimile quid agimus) neceſſe erit, vt ſigillatim de his ſingulis dicturus inſtruatur. In cohortando igitur, id ad quod hortamur, & poſſe omnino & facile poſſe fieri; idemque & honeſtum, & decorum, & vtile, & iuſtum & pium eſſe, (Pietas autem vel ad Deos vel ad defunctos refertur,) oſtendemus: & ſi quæ eſt in eo, voluptatem. Tum non ſolos nos id agere, nec primos, Vel ſi primos etiam, autores dici præclari facinoris pulcherrimum eſſe. Deniq; à facto pœnitentiã abfore. Subijcienda & ea, quæ is quẽ cohortatur, ab eo accepit qui hortatur, aut ſi alias cum vtilitate ſua perſuaderi ſe paſſus eſt. Eadem ratione in poſtulatione vtemur. Dehortantes vero, contraria. In conſolando ita agemus, vt id quod euenit, neceſſarium, & omnibus commune, & nihil minus quia à volẽte profectum dicamus. Minime enim qui ſapiũt, ob ea lugent, quæ per imprudentiam eueniunt. Quod ſi quid fuerit voluntate commiſſum, ipſum ſibi autorem mali eſſe oſtendemus. Præ amore enim quo ſe ipſi proſequuntur homines, minus moleſte ea ferunt mala, quorum ipſi ſibi eſſe autores videntur. Poterit & dici, multo leuius hoc malũ eſſe, quam quod cum ipſis eueniret, multo æquius tulerunt alij. Tum vt aliquid habent moleſtiæ, tamen & honeſtum, & præclarum eſſe. & vtile. Sed & inutilem ob ea quæ iam præterierunt, dolorem eſſe. Plurimum quoque ad conſolandum poteſt miſeratio. Præſertim ſi ab eo verba fiant, quem ipſe quoque luctus tangit. Nã qui in dolore ſunt, his qui nihil admodum graue ipſius euenisse cẽnſent, refragari ſolent, præterque mœrorem etiam iraſci cõſolantibus. At eorum, qui cum ipſis lamentantur, libentius, tanquam neceſſariorum, conſolationes admittũt. Quare & poſt queſtus, adferenda demum erunt monita. In deprecando hæc ſequi poterimus; Primum, vt per imprudentiam, quod commiſſum eſt, factum dicamus. & vel inſcitia, vel caſu, vel neceſſitate. Sin prudentes fecerimus, pium, vſitatum, atque vtile, oſtendemus eſſe. Atque hæc, ex quibus licebit Locis præſtabimus. Non enim omnes ad quaſcunque quæ ſub vnum cadunt genus Proſopopœias apti ſunt. Atque in hoc quidem exercitio, potiſſimum affectus, partim graues, partim mites, locum habent. Et ex his quidem Locis, ſatis erit, tanquam prima inſtitutione, exercere adoleſcentes. Cæterum qui accurate pleniuſque has tractare volent, poterunt ex ijs quæ paulo poſt à nobis de ratione tractandæ Theſeos dicentur, plura haurire.

Cap. XI.

DE DESCRIPTIONE.

DEſcriptio, eſt accurata delineatio, quæ perſpicue id, cognoſci volumus quod oculis quaſi obijcit. Quæ Perſonarum, Rerum, Locorum eſt, & Temporum. Perſonæ, vt in illo Homeri:

Ipſe

Ipſe niger, gibberque humeris, criſpoque capillo.

Itemque Therſitæ:

Lumine erat ſtrabus, atque vno pede claudus, in arcto
Pectore gibbi humeris extantes:

& quæ ſequuntur. Item apud Herodotum forma ibidos, equorumq; fluuiatilium, & crocodilorum in Aegypto. Rerum deſcriptiones: vt, exempli cauſa, belli, pacis, tempeſtatis, famis, peſtilentiæ, & terræmotus. Locorum: vt prati, littorum, vrbium, inſularum, ſolitudinis, ac ſimilium. Temporum: vt, veris, æſtatis, feriarum, & ſimilium. Modi deſcriptiones ſunt: vt vaſorum, armorũ, machinarum, cum, quo modo aliquid ſit factum, explicatur. Vt armorum fabrica apud Homerum, apud Thucydidem vero Plateæ circumuallatę, & machinarum deſcriptio. Vt, *Antennam ingentem diſſectã excauabant totam*, &c. In nono autem Cteſias, cum ait, Perſarum ſimulachra ſuper longis eminus perticis, primo diluculo iuxta arcem cum viderent, rati plenam Perſarum, ac iam occupatam eſſe arcem, in fugam Lydi ſunt conuerſi. Sed & mixta quædam poteſt fieri deſcriptio. Quale apud Thucydidem & Philiſtum, prœlium nocturnum. In nocturno enim prẹlio nox tempus, prẹlium verò actio eſt. Multa autem communia hoc exercitium cum ijs habet, quæ de loco ſupra dicta ſunt. Quatenus enim nihil definitum, ſed communia ac generalia, quæ in vtroque tractantur, hactenus conueniunt. Hæc autem inter ipſa ſunt diſcrimina. Primum, quod in Loco de ijs quæ conſulto eueniunt, in deſcriptione vt plurimum de ijs quæ carent anima, & inconſulte fiunt, agatur. Cum rerum geſtarum narratione etiam iudicium coniugimus noſtrum, & aut bene aut contra facta pronuntiamus. in deſcriptione autem nuda eſt rerum expoſitio. Deſcriptionem autem rerum ita tractabimus, vt & quid anteceſſerit, & pariter cum illis euenerit, commemoremus. Vt in bello, exempli cauſa, primo quę bellum antecedunt, delectus, impenſas, formidines, regionis populationem, vrbium oppugnationes; vulnera, interitus ac luctus: horum denique captiuitatem & ſeruitutem, illorum victoriam & trophæa commemorabimus. Si loca, tempora, modi, perſonæ deſcribentur, poſt propriam quam ipſa ſuppeditent enarrationem, à pulchro, & commodo, & iucundo argumenta petemus. quemadmodum ab Homero in Achillis armorum deſcriptione factum eſt. qui & ſpecioſa, & valida, & ſocijs viſu ſtupenda, hoſtibus terribilia fuiſſe addidit. Deſcriptionis virtutes hæ ſunt: Perſpicuitas quidem præcipua & euidentia, prope cerni vt videantur ea quæ referuntur. Deinde & videndum, ne longe nimis extendantur ſuperuacua. Omnino vero danda opera vt rebus ſubiectis ſimilis ſit ipſa expoſitio. Itaque ſi quid floridum explicandum ſuſceperimus, florida debebit eſſe & elocutio: ſiu ſquallidum, horrendumve, aut aliud quodcunque, nec ſic à natura illorum, orationis diſcrepabit forma. Sunt qui in hoc exercitio deſtructionem quoque & aſſertionem eorum quæ ab alijs deſcripta ſunt, aſſumant. Vt ſi dicamus, de forma ibidos, falſo retuliſſe Herodotum, cum aues illas, capite, ceruice, & extrema clunium parte excepta, albas eſſe dicit, cum pars circa clunes tota alba ſit. Qui nobis nihil

nouum præter ea quæ iam diximus afferre videntur, eo quod hoc genus in narrationum deſtructionibus, aſſertionibusque locum ſibi vindicare videatur.

Cap. XII.

DE THESI.

THeſis, eſt oratio deliberatoria, quæ controuerſiam abſque definitione Perſonarum omnique alio reſpectu, admittit. Vt, Ducenda ne vxor, Suſcipiendi ne liberi, Sint ne dij Inter hoc & Locum id intereſt, quod Locus confeſſæ, Theſis verò controuerſæ rei amplificationem habet. Quare & Κεφάλαιον, Hermagoras; Theodorus Gadarenſis, Caput cauſæ vocauit. Differunt & fine. Quod finis Theſeos ſit, perſuadere; Loci autem finis ſit pœnam exigere, Et quod Locus in iudicio, Theſis in concione & ſcholis dicitur. Præterea, quod Loci, auditores iudices: Theſis, ſimpliciter ciues ſunt. Quemadmodum & aliæ multæ vtriuſque ſunt differentiæ. A Proſopopœia differt Theſis, quod in hac nulla exprimitur perſona, in illa maxima ex parte perſonis quæ introducuntur inuenta attribuitur oratio. Non enim eodem modo, (vt qui ſimpliciter quæret vtrumne ſint gignendi liberi, & qui patrem introducet ſuadentem filio, vt gignat liberos,) orationem diſponet. Exordia in Theſi, vel à ſententia generali qua ipſa confirmetur, vel à prouerbio, aut chria, aut apophthegmate commodo, aut hiſtoria, aut laudatione vel vituperatione rei de qua quæritur, ſumentur. Narrationem ea, cum res quæ proponitur ſit nuda, non admittit. Poſt exordium autem diſponentur capita. Cum autem aliæ ex illis ad contemplationem ſpectent, vt quæ huius cauſa & ſcientiæ inſtituuntur: (vt ſi quæratur, vtrumne mundi curam Dij gerant) aliæ ad actiones, quæ ad has referuntur: (vt ſi quæratur, vtrum ſit ducenda vxor) patet iſtas, magis ad Politicos, & Rhetores, illas ad philoſophos ſpectare, iiſque conuenire. Cum tamen nihilominus ex Locis, ſecundum quos ea quæ ad actiones pertinent tractantur, à Rhetoribus tractari poſſint. Nihil ergo differt, vtrum quis dicat, Sitne ducenda vxor, necne: An vero, Sintne admittendæ, an fugiendæ nuptiæ. vnum enim eſt idemque quod his omnibus ſignificatur. Theſeos, quam practicam, ſiue actiuam, dicimus, præcipua capita in aſſertione quidem à neceſſitate, ab honeſto, ab vtili, à iucundo; in deſtructione vero, à contrarijs ſumuntur. Singula autem ex quibus poterimus Locis tractabimus. Fieri enim non poteſt, quod iam notauimus, vt ex omni argumento propoſitam tractemus quæſtionem. Sunt autem loci hi. Primum fieri poſſe quod in Theſi proponitur, probabimus. Secundo, etiam ſecundum naturam communemque omnium hominum morem ac conſuetudinem eſſe, oſtendemus. Neque enim ſufficit, vt actioni id accommodetur, ſi fieri poſſe conſtet, niſi &

ſecun-

ſecundum naturam & legem ſit quod proponitur. Tertio, factu facillimum eſſe. Aut ſi difficultatem habeat, fieri tamen poſſit, maiori cum laude coniunctum ſic eſſe quam ſi facile foret, perſuadere conabimur. Deinde, non ſolos nos agere id, ſed & alios idem ante nos feciſſe. Quod ſi ſoli aut primi, pulchrum eſſe in præclaris primum eſſe. Tum quod pium. Id autem duplex. Nam aut Dijs aut mortuis quod datur, ita dici ſolet. Deinde, & neceſſarium eſſe. Tum cum gloria coniunctum & vtilitate. Sed & ad ſecuritatem facere, & maioribus præire rebus. Etiam iucũdum eſſe. & niſi fiat, ſecuturam pœnitentiam: ac vix regreſſui aut emendationi locum eſſe. A contrario autem ſic: Nam ſi contrarium fieri non debet, hoc fieri debebit, & contrarium ſi turpe, hoc honeſtum erit. & ſi inutile illud, hoc vtile. & ſi iniucundum, hoc iucundum. Eodemque modo & à ſimili. Si enim ſimile appetendum, & hoc. Itidemque à minore & maiore, à parte & à fine. Is autem, cuius cauſa aliquid appetitur. Si enim appetendus finis, id quoque quo ad illum peruenitur, appetendum. Poſt hæc, etiam ex ijs quæ ſub eo continentur, quod non pauca, tum honeſta tum vtilia ſub ſe complectatur, & iucunda. Tum & ab ijs quæ vel antecedunt, vel comitantur, ac poſtremo quæ rem ipſam conſequuntur, argumenta petemus. Quod ſi quis maiores iam fecerit progreſſus, in ſingulis ijs, de quibus iam diximus, locis, illuſtrium virorum (quales Poetæ, Politici, ac denique Philoſophi) adhibenda erunt teſtimonia. Etiam ſi quæ cum ijs, quæ dicuntur, conueniunt hiſtoriæ. Quæ nec confuſe erunt adhibendæ nec temere. Verum ita, vt cum amplificatione inſtituatur comparatio. Primo ab ijs quæ ab vno aut priuato, tum ab ijs quæ à principe aut Rege, deinde ab ijs quæ ab vrbe tota, ac omnibus totisque, vel regionibus vel gentibus, facta ſunt. In quo cauendum tamen, ne hiſtorijs poeticiſque teſtimonijs tota compleatur oratio. Deſtruimus autem à contrarijs. Eodemque modo quo Locos, ipſas quoque argumentorum diſponemus probationes. Vt à primis ad poſtrema ordine pergamus. Exempli cauſa, Theſin ex præcipuis, quæ actionem ſpectant, aliquam ſumamus. Qualis eſt illa, Vtrum Rempublicam adminiſtrare ſapiens debeat. Qui igitur probare volet, gerendam eſſe ſapienti Rempublica, is primum, poſſe id à ſapiente fieri, docebit. Deinde, ſecundum naturam id eſſe, oſtendet. Cui rei etiam in brutis eſſe aliquam Reipubl. formam, ſinguloſque greges ſuum habere ducem, docere poterit. Poſtremo cum inter Barbaros, tum inter Græcos, ipſos quoque immortales, vt fama eſt, Deos, obtinere, id, vt præſint cæteris qui præſtantiſſimi. Deinde & facillimum id ſapienti eſſe. Quidni enim qui in ijs, quæ ad mores ſpectant hominum, verſatus eſt, vt oportet hominibus præeſſe poſſit? Poſt hæc, vt maxime hoc facile factu non eſſet, reliquis laboribus communem Reipub. fœlicitatem eſſe anteferendam. Deinde & ſocios qui idem agant, multos habiturum in Republica. Neque primum in hoc genere futurum, cum & multi ad Rempub. è ſapientibus acceſſerint ante illum. Exempli cauſa, Pittacus, Solon, Lycurgus, Zaleucus, alijque in numeri. Quod ſi nemo ante eum olim ad Rempublicam aut ex antiquis aut recentioribus ſeſe contuliſſet, eo maiori laude eum fore

dignum,

dignum, qui in re pulcherrima ſit primus. Tum deinde, etiam ſapienti admi- niſtrationem conuenire Reipublicæ. Quem enim illo rectius aut pronunciare de iure, aut vtilia ſuadere, aut leges & plæbiſcita ferre, atque in his gerendis, incorruptum ſe præbere; aut qua in re quenquam melius vrtutem quandam- que cum Dijs ſimilitudinem declarare poſſe? Ad hæc, æquum eſſe vt patriæ & ciuibus, Dijsque patrijs mercedem alimoniæ & inſtitutionis quiſque per- ſoluat. Tum ad pietatem pertinere, gratumque dijs eſſe immortalibus, vt re- cte & quemadmodum oportet Reſpub. adminiſtretur. Sed & mortuis iucun- dum, conſanguineos ſeruari ſuos. Præterea nec poſſe ciuitates præſidibus qui- buſdam, bonis præſertim gnauiſque carere viris. ſine quibus nec conſiſtere il- læ quidem poſſint. Item, fieri eum qui Rempublicam regendam ſuceperit, ſe ipſo quoque illuſtriorem, qamvis antè etiam obſcurus fuerit. Ad hæc, quod ta- lis, communi vita maximo Reipublicæ commodo circa pecunias verſaturus ſit: etiam à calumnijs inſidijsq; ac inuidia quam maxime remotus. Poſt hęc, ſi Rempublicam capeſſat ſapiens, & auctiora & meliora fieri omnia, non pri- uatim modo, ſed publice ſolere. Sed & iucundiſſimam eorum qui in Repub. verſantur eſſe vitam. Quod & ex alijs pleriſq; ſupra memoratis Locis ſequi- tur. Addere & hoc licebit: Ita comparatum eſſe, vt neglecta, vbi ſemel in de- terius ierit, Reſpub. & reſtituatur ægre, eumque, qui priuſquam eo mali deue- nit, eam neglexerit, fruſtra, cum iam nihil proſit, ſubire pœnitentiam. Tum & à contrarijs. Si enim patriæ commodis obſiſtere, turpe eſt, accedere ad Rem- pub. laudabile. Si illud inutile, hoc vtile. Si illud iniucundum, hoc iucundum. Præterea, a ſimili. Vt ſi, exempli cauſa, id quod adminiſtrationi Reipub. ſimi- le eſt (puta iuuentutis cura) honeſtum, vtile eſt, & iucundum, etiam Rempub. gerere & honeſtum, & vtile erit, & iucundum. A minore ita argumentum ad- ornabimus: Si vir bonus familiæ vnius curam ſuſcipere debet, etiam vnius ci- uitatis recte curam geret. A parte ſic: Si vir bonus, legis vtilis aut conſultatio- nis autor eſſe debet, etiam in tota Repub. præcipua illi opera nauanda. Con- tra vero à toto. ſi in generali quadam Reipub. cura operam hominibus præ- clare nauat ſapiens, quod à Platone factum, non minus ſuæ illum ciuitatis cu- ram ſuſcipere æquum erit. Poſt quæ in quo ciuitatis tam pacis quam belli ac quouis tempore conſiſtat felicitas, qui bene conſtitutæ finis Reipublicæ, pro- babimus. Tum & quam late hæc pateant demonſtrabimus. Nam cum vnum videatur eſſe ac dicatur vulgo quod ciuitatis præſtatur præfecto, ea re ipſa ſunt multa. Neceſſe enim talem ſecundum Ariſtotelem, tum de pace, tum de bello, ſed & opibus ſolique cuſtodia, vt & de ijs quæ importari atque ex- portari ſolent, de ferendis poſtremo legibus ſimilibusque alijs, curam habe- re. Locorum quæ ſunt ante negocium, & in eo, & poſt illud, quamuis in hac quoq; Theſi facile adduci exempla poſſint, ea tamen multo planiora in alio futura ſunt. Vt exempli cauſa, in eo, Vtrum liberis danda opera. Nuptias e- nim, cæteraque quæ procreationem liberorum antecedere neceſſe eſt, lauda- bimus: eaq; honeſta, vtilia, ac iucunda eſſe oſtendemus. Tum ea, quæ procrea- tionem comitantur, Quemadmodum & ea quæ ſequuntur. Qualis cura atq;

nutri-

nutrimentum extrema ætate: liberorum felicitas, ac delectatio. & alia eiuſdem generis. Contraria autem, deſtruendi facultatem ſuppeditabunt. Ac de actiua quidem Theſi hactenus. Nunc & contemplatiuæ cuiuſdam exemplum, eiuſq; diuiſionem, afferamus. Quæ ex iiſdem quidem locis, non eodem tamen quo actiua ordine, ſed prout quæſtioni conueniet propoſitæ, deducenda erit. quãvis id quoq; optime in actiuis fieri exiſtimo. Vnicuique porro quæſtioni ordo maxime erit conueniens, ſi ſimpliciora primum atque leuiora, deinceps vero vehementiora, ſi qua ſunt, ac grauiora producamus argumenta, tum quæ ad aſſertionem faciunt, ijs præmittamus quæ aſſerimus. Si poſtremo, imbecillia robuſtioribus interſeramus ac admiſceamus. aliaque id genus quæ de ordine præcipiuntur. Ponamus ergo quæri, vtrum curæ Dijs res humanæ ſint. Rurſum igitur hoc dicemus: Poſſe deos proſpicere nobis, neque in cura mundi quicquam eis diſcedere. Poſt hæc: Facile id eſſe Deo, neq; illi id moleſtiam exhibere vllam. Deinde, Deum curæ huius heroas aliosque Deos habere ſocios. Tum, Omnium hominum Græcorum barbarorumque animis hoc eſſe inſitum, curæ ſe Dijs eſſe. Idque vel ex eo intelligi poſſe. Abſque eo enim eſſet, non aras, templa, non oracula, Dijs, illi, à quibus beneficio aliquo affecti, aut liberati malo, (fame puta, peſtilentia, bello, aut ſimili difficultate) ponerent, neq; illius rei rationem, in maximis præſertim periculis, haberent. Tum ſapientibus quoq; idem placere: vt, Platoni, Ariſtoteli, Zenoni. quemadmodum & ijs qui leges tulerunt: ſiquidem ne impietatis quidem abſque eo extarent actiones. Sed & maximi nominis eos eſſe, qui curam noſtri gerere exiſtimãt Deos. Quemadmodum & omniũ tutiſſime ac diligentiſſime eos viuere conſtet, qui omnium ſuarum in vita actionum inſpectores ſe habere exiſtimãt Deos. Sed & iucundiſſime ætatem agere, qui à Dijs reſpici ſe credunt. Quin & Deus, cum ſit iuſtus, fieri non poſſe vt cultores ſuos negligat. Deinde, vniuerſitatis naturam quoq; teſtari, omnia ſecundum prouidentiam, vt in mundo quæque conſeruentur, eſſe conſtituta. Hoc & anni tempora, quæ per ſua quæque momenta commutantur, itemque & imbres fructusque ſuo tempore prouenientes, quemadmodum & ipſas tempeſtatum ſingularum partes probare. Quibus vniuerſis aptam naturæ fabricationem, ad ſalutem eorum ac ſtabilitatem, vt & Xenophon in Memorabilibus demonſtrat, efficaciter probari. Ad hæc, nihil eſſe conuenientius Deo, quam vt huic vniuerſo, eius præſit ſit prouidentia, cum præſertim ſit impium, ocioſum eſſe aut nihil agere vt quis exiſtimet Deum, aut eiuſmodi illius occupationes eſſe, cuiuſmodi in hac infirmitate & mortalitate noſtras & neceſſe eſt. Præterea, non poſſe non eſſe prouidentiã. Si quis enim tollat ex Deo prouidentiam, idem ſuſtulerit & inſitam omnibus de illo perſuaſionem, qua & eſſe Deum ſentimus. Ex cura enim quam pro nobis gerit Deus, etiam ſe eſſe eum credimus. Tum ne potuiſſe quidem ſine prouidentia exiſtere hoc vniuerſum. Nam quemadmodum non poteſt ſine architecto, ex fortuito laterum concurſu domus, nauis ſine fabro, neque quicquam omnium quę parui aut magni fiunt, ſine ſingulorum artifice fieri poſſunt, ita ridiculum ſit arbitrari, omnium quę ſunt pulcherrimum maximique pre-

Digitized by Google

que precij, hunc mundum, non à pręſtantiſſimo & maxime diuino artifice factum eſſe, ſed ſponte ſua extitiſſe. Ab his ad contraria progrediemur. Dementiæ eſſe purſuadere ſibi talem eorum quę in cœlo mouentur ordinem, non ab aliqua cõſtitutum eſſe prouidentia: verum temere extitiſſe & fortuito. Deinde & à ſimili ducentur argumenta. Si recte neque domus ſine patre familias, neque nauis abſque gubernatore, neq; exercitus ſine imperatore, neque ciuitas abſque magiſtratu conſtitui poſſit, ne mundum quidem poſſe ſine Dei prouidentia conſiſtere. Præterea, à parte. Si omnium cõfeſſione conſtet, in ſingulis ciuitatibus prouidentes eſſe noſtri heroas, genios, deos ipſos, id quoque ſequi, vniuerſum prouidentia diuina adminiſtrari mundum. Poſtremo, & quã late hoc pateat, docebimus. Nam verbo quidem vnum euerti dogma, re autem ipſa, quam plurima. Si enim non ſit prouidentia diuina, neque iuſtitiam, neque pietatem, neque iurisiurandi fidem, neque fortitudinem, aut temperãtiam, aut amicitiam, aut gratitudinem, nullam denique virtutem conſiſtere poſſe. Quæ ſubuertere, hominis ſit minime cordati. Iam in alteram partem, ſi nimirum deſtruamus, argumenta ex contrarijs ſumemus locis. Cum autem ex Theſibus, alia ſit Simplex, alia Coniuncta, (Simplex, exempli cauſa, vt, Sitne ducenda vxor, Coniuncta, vt, Sitne ducenda Regi) Coniuncta, in ſingula ex quibus componitur, erit diuidenda. quo conuenienter de ſingulis ſeorſim agamus. Sed & amplificationes & digreſſiones, in quibus id fieri poterit, Theſeos partibus, adhibebimus. Quin & affectibus, tum vehementioribus, tum lenioribus, tum & cohortationibus, cæteriſque omnibus orationis vtemur formis. Sed & diuerſos vitę adferemus caſus. Singulis itidem conuenientem adhibebimus ſermonem. Vt, exempli cauſa, fingamus quęri, Vtrum ſit ducenda vxor. Poſtquam igitur communiter ac vniuerſaliter de omnibus egimus hominibus, ita vt vel aſſeramus quod quęritur de nuptijs vel deſtruamus; tum & per ſingula digrediemur vitę genera. Vt, exempli cauſa, Agricolę, Mercatoris, Militis, Diuitis, Pauperis, Regis. Ita magna ſuppetet orationis copia, qua vnaquęque multiplex reddatur Theſis. Eandem quoque argumentandi rationem, & in deſtruendis, vt ante quoque diximus, ſententijs, ſequemur.

Cap. XIII.

DE LEGIBVS.

LEx eſt decretum multitudinis, aut viri alicuius in Republica clari, ſecundum quod ad certum tempus ciues omnes viuere oportet. Cæterum dupliciter conſiderantur leges: vel cum feruntur, vel cum latæ ſunt. De ijs quæ feruntur quæri ſolet, ratasne habere an ſecus oporteat. Cum vero iam ſunt latæ, controuerſiæ quæ inter diſcrepantes oriuntur, tales ſunt, vt non omnino tollant leges, ſed vtrique interpretationem ad id quod vtilius videtur ſibi, refe-

Digitized by Google

referant. Ita vt augere ea quiſq; quæ pro ſeſe facere in ijs arbitratur, contraria ſupprimere ac occultare ſoleat. Nunc vero, cum de infirmandis confirmandiſque legibus agamus, ac de eo maxime cum iam feruntur, agitari ſoleat, de eo nunc agendum nobis erit. Quare cum introducuntur leges, aut quæ ijs continentur accuſamus ac deſtruimus, aut pro ijs ſtamus, atque aſtruimus. Atque id poſt Exordium ex his facere ſolemus Locis. Ex obſcuro, ex eo quod fieri non poteſt, ex neceſſario, contrario, iniuſto, ex dignitate denique, ab inutili & turpi: Obſcuritas ergo vel ex prolatione, quam ſuperfluum nonnulli accentum, vel ex nomine, vel ex æquiuocis, vel ex idem, vt putamus, ſignificantibus, quam ſynonymiam quidam Græce dicunt, vel ex conſtructione, vel ex coniunctione ac diuiſione, vel ex abundanti, vel deficienti, vel ex eo quod pugnare videtur. Atque ex pronuntiatione quidem ſit, cum eodem ordine ita duæ ſimiles ponuntur voces, vt duobus modis proferri poſſit id quod ſcriptum eſt. Vt exempli cauſa, Θεράπαινα χρυσία μὴ φορείτω εἰ δὲ μὴ δημοσία ἔστω. id eſt, *Ancilla aurum ne geſtato, ſin geſtarit, publicator*. Dubium enim, vtrum ancilla an aurum publicari oporteat: quod, ᾱ, pronunciari tam producte quam correpte poſſit. Ex nomine, ſi vox quæ ſcripta eſt, aut noua, aut priſca ſit, aut peregrina. vt, exempli cauſa, ποδοκάκκη. ὁ ἡμιδάκτη. Aut ſi quis voce κέραμος pro carcere vtatur. quod Cypriorum eſt proprium. Quemadmodum & illud Homericum nonnulli exponunt.

Treſque decemque aula menſes religatus ahena.

Ex multiplici ſignificatione: vnum nomen ſi duo plurave ſignificet. Vt ſi ſcriptum ſit. A puero non accipiendum teſtimonium. Quæri enim hoc loco poterit, vtrum dicatur, Non poſſe impuberem teſtimonium dicere: an, Filium pro patre, an ſeruum pro domino. Hi enim omnes vno nomine pueri vocantur. Ex idem ſignificantibus, contra: cum id quod ſignificatur, vnum, nomina plura ſunt. Vt gladius, enſis, culter, machæra. nam & hic obſcuritas naſcitur, cum aliquis tot putat eſſe ſignificata, quot appellationes ſunt. De cōſtructione: vt cum Pittacus ait, Patris ac matris æquales portiones eſſe debere. Nam & hic incerta locutio: dubitaturque, vtrum parentum liberi bona, an liberorum parentes diuidere debeant. Item, cum in medio poſitum nomen aliquod cum præcedentibus poteſt conſtrui aut conſequentibus, ſed ſenſu diuerſo. Vt, victor in bello, Martis ſimulachrum cum haſtili conſecrato, idq; ſit aureum Accipi enim poteſt, vel ſimulachrum, vel telum aureum. Ex compoſitione & diſiunctione, quam aliqui communem diſiuncti & indiſiuncti dicunt. Vt cum lex ad hæreditatem, fratres, filios vocat. Diſtingui enim poteſt ac dici, primo quidem fratres, qui ſi non ſint, tum filios vocari. Poteſt & coniunctim ſumi, vt ſimul eos dicamus vocari. Itemque cum dicitur: Falſi teſtimonij conuictus ter mille dato. aut enim dicitur, ter conuictus, mille dato, aut ter mille, ſemel conuictus. Ex abundanti naſcitur obſcuritas: cum plus quam ſcriptum ſit, colligere ex vi ſignificationis poſſumus. Vt, exempli cauſa, ſi quis legem ferat, hæredes & eos eſſe oportere, qui à matre cognati. Dubitari enim poſſit, vtrum & matrem. Nam ſi a matre cognati ad hæreditatem

vocan-

vocantur, multo magis ipſa mater. Ex deficiente obſcuritas multis modis. Vt ſi dicamus, Qui patrem pulſarit, ei manus præcidantur. Deeſt enim, vtrum illi quoque qui per furorem pulſarit, quique beneuolentia ductus, an ſimpliciter vniuerſos. Perſonæ defectus & ipſe multiplex. Natura enim, ætate, propinquitatibus, ac fortuna differre poſſunt perſonæ. Vt, exempli cauſa, ſi dicamus, Etiam cum proditore necandos eſſe liberos. Non enim definitur, verum & adoptiuos, & mulierbris ſexus.

Exempla, ſiue Paradigmata, eidem Autori hactenus aſſcripta, prætermiſimus; cum inter ſcripta Libanij non ita pridem Lutetiæ ſunt edita.

FINIS.

Digitized by Google

PRISCIANI GRAMMATICI CÆSARIENSIS,

DE

PRÆEXERCITAMENTIS RHETORICÆ EX HERMOGENE

LIBER,

Digitized by Google

Digitized by Google

PRISCIANI GRAMMATICI CÆSARIENSIS DE PRÆEXERCITAMENTIS RHETORICÆ.

CONTENTA.

De Fabula.
De Narratione.
De Vsu.
De Sententia.
De Refutatione.
De Communi Loco.
De Laude.
De Comparatione.
De Alloquutione.
De Descriptione.
De Positione.
De Legis Latione.

DE FABULA.

Fabula eſt oratio ficta, veriſimili diſpoſitione imaginem exhibens veritatis. Ideo autem hanc primam tradere pueris ſolent oratores, quia animos eorum adhuc molles, ad meliores facile vias inſtituunt vitæ. Vſi ſunt ea tamen vetuſtiſſimi quoque authores: vt, Heſiodus, Archilochus, Horatius. Heſiodus quidem luſciniæ, Archilochus autem vulpis, Horatius muris. Nominantur autem ab inuentoribus fabularum alię Æsopiae, alię Cypriae, alię Lybycae, aliæ Sybariticae. Omnes autem communiter Æsopiae, quoniam in conuentibus frequenter ſolebat AEſopus fabulis vti. Et pertinet ad vitæ vtilitatem, & fit verſimilis, ſi res quæ ſubiectis accidunt perſonis, aptè reddantur: vt puta de pulchritudine aliquis certat, Pavo hic ſupponatur. Oportet alicui aſtutiam tribuere, Vvlpecvla eſt ſubijcenda. Imitatores aliquos hominum volumus oſtendere, hìc Simiis eſt locus. Oportet igitur modo breuiter, modo latius eas diſſerere. Commodo autem hoc fiet ſi nunc narratione ſimplici proferantur, nunc etiam ſermo inductis fingatur perſonis: exempli

pli cauſa , *Simiæ conuenerunt , & conſilium habuerunt de vrbe con-
denda: & quia placuit illis, paratę erant incipere ædificationem: ſed
vetus inter eas prohibuit ab incepto , eas docens quòd facile capien-
tur ſi intra muros concludantur:* ſic breuiter dices. Sin velis pro-
ducere, ſic. *Simiæ conuenerunt , & conſiliabantur de vrbe condenda:
quarum vna in medium, veniens concionata eſt , quia oportet ipſas
quoque ciuitatem habere. Videtis enim aiebat , quòd ciuitates ha-
bendo homines habẽt etiam domos ſingulas ſinguli , & concionem
vniuerſi, & in theatrum aſcendentes delectant animos ſpectationibꝰ
& auditionibus varijs.* Et ſic proferes orationem immorando, di-
cens *quòd & plebiſſcitum ſcriptum eſt :* & fingens etiam oratio-
nem veteris ſimiæ. Expoſitio autem fabularum vult circuitioni-
bus carere, & iucundior eſſe. Sed oratio qua vtilitas fabulæ rete-
gitur, quam ἐπιμύθιον vocant , quod nos Affabvlationem poſſu-
mus dicere , à quibuſdam prima eſt , ſed à pleriſque rationabi-
lius poſtrema ponitur. Sciendum verò quod etiam oratores in-
ter exempla ſolent Fabvlis vti.

DE NARRATIONE.

Narratio eſt expoſitio rei factæ, vel quaſi factæ. quidam ta-
men χρείαν , id eſt Vsvm poſuerunt ante Narrationem. Spe-
cies autem Narraiotnvm quatuor ſunt , *Fabularis , Fictilis , Hi-
ſtorica, Ciuilis.* Fabvlaris ad fabulas ſupradictas pertinens: Ficti-
lis ad tragœdias, ſiue comœdias fictas : Historica ad res geſtas
exponendas: Civilis, quæ ab oratoribus in exponendis ſumitur
cauſis. Nunc autem de ea quæ ad exercitationem pertinet, dice-
mus , quam varijs proferre modis ſolemus. Per *rectum indicati-
uum,* per *indicatiuum inclinatũ* , per *conuictiuum, diſſolutum, com-
paratiuum.* Per Rectvm Indicativvm; vt, *Medea OEetæ filia fuit, hęc
prodidit aureum vellus* , & ſequentia. Rectvm autem nominatur,
quòd per totam vel ampliorem orationem Casvm ſeruat Nomi-
nativvm. Inclinata verò Indicativa dicitur, in qua Obliqvis vti-
mur Casibvs: vt, *Medeam OEetæ filiam dicunt amauiſſe Iaſonem* , &
reliqua : qui alios quoque caſus aſſumit. Convictiva verò Figvra
eſt, qua arguentes vtimur: vt, *Quid enim non fecit Medea malum ?
Non amauit quidem Iaſonem ? prodidit aureum vellus ? interfe-*

cit

Digitized by Google

cit fratrem ? & ſequentia. Dissolvtvm verò ſic : *Medea OEetæ filia prodidit aureum vellus: Abſyrtum interfecit*,& ſequentia. Comparativvm verò eſt hoc : *Medea OEetę filia debens pudicitiam ſeruare, turpitudine amoris prodidit eam: & quam decebat cuſtodem fraternę fieri ſalutis , interfecit fratrem : & quæ debuit tutari aureum vellus,prodidit inſidiatori.* Et Rectvm quidem hiſtoriæ conuenit (eſt enim planius) Inclinatvm verò magis certaminibus Rhetoricis : Convictivvm quoque ad arguendum accommodatius: Dissolvtvm autem perorationibus , ſiue concluſionibus ; eſt enim paſſiuum;id eſt affectus animi commouens.

DE VSV.

Vsvs eſt,quem Græci χρείαν vocant , commemoratio alicuius orationis,vel facti vel vtriuſque ſimul,celerem habens demonſtrationem, quæ vtilitatis alicuius cauſa plerunque profertur . Vsvvm autem alij ſunt *orationales* , alij *actiui* , alij *mixti.* Orationales ſunt,quibus ineſt oratio ſola : vt , *Plato dicebat Muſas in animis ingenioſorum eſſe.* Activi verò,in quibus *Actus* ineſt ſolus : vt, *Diogenes quum vidiſſet puerum agentem indecenter, pædagogum virga percuſſit.* Mixti ſi addas, *percuſſit dicens: Quare ſic erudiſti ?* Intereſt autem inter *Vſum* & *Commemorationes* hoc, quòd *Vſus* breuiter profertur,*Commemorationes* verò,quas Gręci ἀπομνημονεύματα vocant longiores ſunt. A *Sententia* verò differt,quòd *Sententia Indicatione* profertur: *Vſus* verò ſæpe etiam per *Interrogationem*,& *Reſponſionem:* præterea quòd *Vſus* etiam in *Actu* ſolent inueniri:*Sententiæ* verò in verbis tantùm: & quoniam *Vſus* habet omnino perſonam, quæ fecit vel dixit : *Sententia* verò ſine perſona dicitur. Traduntur tamen differentię *Vſuum* plures à veteribus: alij enim ſunt *Indicatiui*, alij *Interrogatiui.* Sed nunc ad inſtans veniamus,hoc eſt adoperationem & ordinationem ad Vsvs pertinentiũ capitulorũ. Diſponendũ igitur ſic , primũ vt Lavs breuiter dicatur eius,qui dixit , vel fecit: deinde Expositio ipſius Vsvs : hinc cauſa : vti , Socrates dicebat *ſtirpem quidem doctrina eſſe amaram , fructum verò dulcem.* Lavs, *Socrates ſapiens fuit :* & producis pededentim locum. poſtea ſequitur eloquutio ipſius Vsvs. Non oportet tamen ipſum per ſe

pone-

ponere,ſed latius eum interpretari. Deinde à cauſa: *Maxima enim factorum per laborem perfici ſolent, perfecta verò afferunt iucunditatem.* Deinde vtendum à Contrario: *Nam viliſſimę rerum non egent labore,& finem teterrimum habent, ſtudioſiſſima verò res è contrario.* Poſt hæc à Comparatione. *Quomodo enim agricolas oportet laborantes in terra accipere fructus, ſic etiam eloquentes.* Deinde ab Exemplo. *Demoſthenes incluſit ſeſe in ædiculis ad legendum, & multo labore: poſt accepit fructus,coronas,& prædicationes.* Deinde ab Ivdicio argumenteris: vt, Heſiodus quidem dixit, *Virtutis viam aſperam Dÿ fecere.* Alius poeta dixit, *Laboribus vendunt Dÿ nobis omnia bona.* Poſt omnia inferes exhortationem,quòd oportet parere illi, qui dixit,aut fecit.

DE SENTENTIA.

Sententia eſt oratio, generalem pronunciationem habens, *hortans* ad aliquam rem,vel *dehortans*,vel *demonſtrans* quale ſit aliquid. Dehortans quidem, quomodo in illo Homerico: *Non oportet per totam noctem dormire conſultorem virum.* & in illo Virgiliano

Heu nihil inuitis fas quenquam fidere diuis.

Hortans verò vt in illo. *Oportet pauperiē fugientem etiā latiſſimum pontum penetrare,& ad ſcopulos applicare præcipites.* Demonstrans verò Qualitatem rei: vt, *Proſpere enim agentes indigni occaſionem accipiunt inſipienter malefaciendi.* Præterea Sententiarvm aliæ ſunt *veræ*, aliæ *veriſimiles*, aliæ *ſimplices*, aliæ *coniunctæ*, aliæ *ſuperlatiuæ*.

Vera quidem: vt, *Non poteſt inueniri vita hominis carens moleſtia.* &;

Heu nihil inuitis fas quenquam fidere Diuis.

Veriſimiles autem: vt, *Si quis cum malis conuerſatur libenter, nunquam de hoc bene interrogaui viro,ſciens quoniam talis eſt,quales illi,cum quibus conuerſatur.* Et,

Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem.

Simplices verò: vt, *Poſſunt diuitię & dementes facere & humanos.* Et:

— *Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames?*

Con-

Coniuncta: vt, *Non eſt bonum multos eſſe reges, vnus rex ſit.* Et, *Obſequium amicos, veritas odium parit.*

Superlatiua: vt, *Nihil imbecillius homine terra paſcit.* Et;

Fama malum, quo non aliud velocius vllum
Mobilitate viget.

Operatio verò Sententiae conſimilis eſt meditationi Vsvs, de quo ſuperius dictum eſt. Prouenit enim à *laude breui* eius, qui dixit, à *ſimplici Expoſitione* ipſius ſententiæ, à *Cauſa*, à *Contrario*, à *Comparatione*, ab *Exemplo*, ab *Iudicio*, à *Concluſione*. Sit autem Sententia, exempli cauſa: *Non oportet per totam noctem dormire virum multis conſulentem.* Laudabis igitur eum qui dixit *breuiter*, deinde *ſimplici expoſitione* eloqueris Sententiam: vt, *Non decet virum in ſumma poteſtate multis præſidentem ab occaſu ſolis vſque ad ortum opprimi ſomno.* A Cavsa. *Debet enim præſes in cura ſemper eſſe, ſomnus verò curas omnibus aufert.*

A Contrario. *Contrariũ eſt enim, & Rex priuat⁹: & ſomn⁹, & vigiliç. Quomodo ergo moleſtum eſt ſi priuatus homo per totam dormiat noctem: ſic intolerabile ſi rex non vigilijs conſulat cuiuſque ſibi parentium ſaluti.* A Comparatione: *Quomodo enim Gubernatores, etſi cæteri dormiant, ſoli pro communi vigilant ſalute, ſic oportet imperatores curare pro ſuis.* Ab Exemplo: *Hector enim noctu vigilans, & curans, ſpeculatorem ad naues Græcorum mittebat Dolonem.* Ab Ivdicio, vt Salluſtius quoque hoc comprobat dicens: *Sed multi mortales dediti ventri, atque ſomno, indocti incultique vitam ſicuti peregrinantes tranſiere.* Conclvsio vero habet exhortationem plerunque: vt, *oportet & nos neceſſarias res ſuſcipientes, nimia cura vigilijſq; eis conſulere.*

DE REFVTATIONE.

Refvtatio eſt Improbatio propoſitę rei, quã Gręci ἀνασκευὴν vocant. Confirmatio verò ex contrario comprobatio. Quę verò planiſſimè ſunt falſa, vel vera, nec refutanda ſunt, nec confirmanda, quales ſunt *fabulę Æſopiæ*, vel *hiſtoriæ indubitabiles.* Oportet enim refutationes & cõfirmationes de illis rebus fieri, quæ ancipitem adhibent opinionem. Refutandum igitur ab *in-*

certo

certo, ab *incredibili*, ab *impoſſibili*, ab *inconſequente*, ab *indecente*, ab *incommodo*. Ab Incerto: vt, *Incertum erat tempus in quo Narciſſum fuiſſe dicunt.* Ab Incredibili, *Incredibile eſt Arionem malis affectum voluiſſe canere.* Ab Impossibili, *Impoſſibile erat Arionem à Delphino ſeruari.* Ab Inconseqvente, quod & contrarium dicitur, vt, *Contrarium erat voluiſſe perdere libertatem eum qui eam ſeruaſſet.* Ab Indecente, *Indecens erat Apollinem cùm ſit Deus, voluiſſe mulieri vim inferre.* Ab Incommodo, cùm dicimus quod neque prodeſt hæc audire. Confirmes verò à contrarijs.

DE LOCO COMMVNI.

Locvs commvnis exaggerationem habet manifeſtæ rei, quaſi ex argumentationibus iam peractis. non enim quærimus in hoc, *an iſte ſacrilegus vel vir fortis* ſit, ſed rei conuictæ & manifeſtæ exaggerationem facimus, cui tamen legibus ſupplicium ſit definitum, vel præmium. Dicitur autem Commvnis Locvs, quia conuenit contra omnem; verbi cauſa, ſacrilegum, vel etiam (vt quibuſdam placet) pro omni viro forti. Oportet autem ſit progredi per *inquiſitionem contrarij*, deinde ponere ipſam rem, poſt comparationem, quam ſequitur ſententia; poſtea *coniecturaliter* præteritam vitam crimineris à præſentibus: dehinc amoueas miſericordiam per capitula, quæ finalia dicuntur; id eſt *vtili*, *iuſto*, *legitimo*, *honeſto*, & ſimilibus, & per *demonſtrationem rei actæ.* Principia enim in *Loco Communi* purè non inuenis, ſed vſque ad formulam quandam ſeruantur. Quod vt exemplo manifeſtum fiat, ſit Locvs Commvnis contra ſacrilegum. Prin cipia igitur dicenda ſunt vſque ad formulam hoc modo: *Omnes quidem oportet maleficos homines in odio eſſe vobis Iudices, maximè verò eos, qui contra deos aliquid audent.* Secun dum quaſi principium *Ergo ſi vultis facere, vt cęteri quoque ſint peſſimi iſti, concedite: ſin hoc minimè placet, iſtum ſupplicijs afficite meritis.* Tertium. *Videtur enim reus in periculum duci ſolus, re autem vera vos quoque in diſcrimen extremum venietis. Contemptio enim iuriſiurandi, & fidei religioniſq; violatio neſcio an minores debeat ſacrilegio pœnas.* Poſt has igitur formulas principij, antequam in ipſam rem veniamus,

de

Digitized by Google

contrario eſt dicendum, *quòd leges conſtituerunt prudentiſſimè deos aris placari, templa eis deuouerunt, donarijs ornauerunt, hoſtijs honeſtauerunt, feſtis diebus redeuntibus celebrauerunt.* Et infers etiam approbationem tractando cauſam: quòd *iuſtiſſimè hæc leges conſtituerunt. deorum enim placatorum prouidentia cuſtoditur ſalua Reſp. Violatorum verò proditione corrumpitur.* Sic progredere ad propoſitum: *Quę cùm ita ſint iſte quid eſt auſus facere?* Et expones rem, non quaſi docens, ſed quaſi exaggerans: *quod vniuerſæ nocuit ciuitati, & communibus & priuatis rebus: & timendum ne tale ſcelus conſequatur ſterilitas frugum, ne hoſtium ſuperemur armis, & ſimilia.* Poſt hęc ad comparationes venies: *quòd homicidis multo eſt iſte peior: quanta vero ſit differentia, ex læſis conijcere poſſumus. Homicidæ enim contra homines audent, ſacrilegus autem in ipſos ſceleratam exercet audaciam deos, tyrannis iſte ſimillimus, ſed tamen ex illis non omnibus, ſed peſſimis omnium. illorum enim facinus eſt ſęuiſſimum, quòd ſacratas dijs diuitias auferunt.* A maiore verò ad Minus comparationes, per increpationem induces, ne minuere crimen videaris: vt, *Non eſt iniquiſſimum, furem quidem vel iniurioſum affici ſupplicio, ſacrilegum verò abſolui?* Licet autem etiam pręteritam eius uitam à pręſenti criminari, *quòd à paruis cœpit, & ad hoc peſſimum facinus progreſſus eſt. Et non ſolum ſacrilegum, ſed etiam furem, atque effractorem, & adulterum habetis.* Excuties etiam ſententiam, per quam venit ad tale peccatum*: quòd nolens ingenuus ingenuè laborare, vel arando cibum acquirere, per ſacrilegia vult diuitias quærere.* Præterea à conſequentibus dices, quòd *per hunc deminuta maieſtas templorum, infamati ſacerdotes, ſegniores ad offerendum ornamenta delubris redditi ciues.* Vtere autem amotione miſericordię. Amouetur autem miſericordia finalibus capitulis, id eſt *iuſto, vtili, poſſibili, decenti, & deſcriptione* ipſius iniurię. vt *Non iſtum mihi attendatis, qui nunc lachrymat ante conſpectum veſtrum, ſed illum contemnentem deos, adeuntem fana, euellentem fores, auferentem donaria ſacrorum.* Et poſt omnia perores, in exhortationem deſinens: *Quid moramini? quid cogitatis de eo, qui iam pridem omnibus videtur eſſe damnatus?*

Digitized by Google

DE LAVDE.

LAvs eſt expoſitio bonorum, quæ alicui accidunt perſonæ vel *communiter* vel *priuatim*. Commvniter: vt, *laus Hominis*, Privatim verò: vt, *laus Socratis*. Laudamus tamen etiam res, vt: *iuſtitiam*: & *muta animalia*: vt, *equum*: nec non etiam *arbores*, & *ſemina*, & *montes*, & *fluuios*, & ſimilia. Sciendum autem quòd & Lavs & Vitvperatio ſub vno eodemque genere referuntur demonſtratiuo, quòd ex iiſdem locis vtraque proficiſcuntur. Quid autem intereſt inter has & Locvm Commvnem? videntur enim in quibuſdam nimium eſſe coniunctę. Hoc, quòd in loco communi pro viro forti dicentes, eo conſilio dicimus, vt præmium petamus: Lavs autem per ſe teſtimonium virtutis habet. Loca verò Lavdis vel Vitvperationis hæc ſunt, *Gens*; vt Latinus, Græcus: *Ciuitas*, vt Romanus, Athenienſis: *Genus*, vt Ælamitanus, Alcmæonides. Dices autem ſi quid naſcendo euenit viro vel ex *ſomnijs*, vel ex *ſignis*, vel *huiuſcemodi* quibuſdam prænunciationibus. Deinde ſequitur Victvs: vt in Achille quòd *medullis leonum paſtus eſt*. Hinc Edvcatio, *quomodo eruditus eſt apud Chironem*. Nec non etiam Natvra Animi, Corporiſque tractetur, & eorum vtrumque diuiſionem. Dices enim de corpore quidem, *quòd pulcher, quòd magnꝰ, quòd ſcitus, quòd fortis*: de Animo verò, *quòd iuſtus, quòd moderatus, quòd ſapiens, quòd ſtrenuꝰ*. Poſtea laudabis à Professionibvs, id eſt quòd *officium profeſſus eſt Philoſophicum*, vel *rhetoricum*, vel *militare*. Omnibus autem eſt exquiſitiſſimum de Gestis dicere, vt *militarem vitam degens quid in ea geſſit*. Laudabis etiam vel vituperabis Extrinsecvs, id eſt à *cognatis*, *amicis*, *diuitijs*, *familia*, *fortunis*, *& ſimilibus*. Præterea etiam à Tempore, *quantum vixit*, *multum vel parum*. vtrumque enim occaſiones *laudis*, vel *vituperationis* præbet. Ad hæc ex Qvalitate Mortis, vt pro *patria pugnans*, vel ſi quid mirabile in ipſa morte euenit, vel etiã ab eo, qui eũ interfecit, vt *Achilles ab Apolline interfectꝰ eſt*. Et exquires etiam quæ ſequuta ſunt poſt mortem, *ſi certamina in eius honorem ſunt celebrata*, quomodo Patroclo ab Achille, & Anchiſæ ab AEnea: *Si oraculum aliquod datum eſt de oſſibus eius*, quomodo de Oreſte & Palinuro: *Si filios habuit laudabiles*, quomodo Achilles Pyrrhum. Maximam verò cauſam in huiuſcemodi ora-

di orationibus ſuppeditant Comparationes, quas pones in quo loco tẽpus admoneat. Cõſimiliter tamẽ Mvta quoq; Animalia, quomodo conuenit,& à *loco in quo naſcuntur*, laudantur: & à *dijs* in quorum ſunt tutela:vt columba Veneri,equus Neptuno dicitur eſſe conſecratus.Præterea dices *quomodo paſcitur : qualem habeat animum:quale corpus:quale opus:aut quid vtilitatis: quale ſpacium temporis vitæ*:Nec non etiam comparatione,& omnibus accidentibus locis vteris. Res autem laudes ab inuentoribus:vt, *Venationem Diana inuenit & Apollo.* Et ab his qui ea vſi ſunt:vt, *Heroes venationibus vtebantur.* Maxima autem facultas in huiuſcemodi rerum laudationibus datur ex Contemplatione eorum,qui eas res affectant,quales ſint tam animis, quàm corporibus:vt venantes *fortes,audaces,acuti,integri corporibus*.Hinc non ignores quomodo etiam Deos debeas laudare. Similiter Arbores à loco in quo gignuntur,Et à Deo in cuius ſunt tutela:vt, *oliua Mineruæ;laurus Apollinis.* Etiam à paſtu, quomodo paſcuntur:Et ſi multa cura egent, id admireris: ſin parua , id quoque laudabis.Dices autem quomodo de corpore, *ſtaturam, pulchritudinem,pullulationem*,quomodo de mali arbore , & *quid vtile habent*,in quo maxime morandum. Comparationes autem non vbique aſſumendę.Quin etiam Vrbivm Lavdes huiuſcemodi locis non difficulter acquires. dices enim & de Genere *quòd indigenę*:& de Victv,*quòd à deis nutriti*; & de Ervditione *quòd à dijs eruditi ſunt*. Tractes verò quomodo de homine, *qualis ſit ſtatura:quibus profeſſionibus eſt vſa:quid geſſerit.*

DE COMPARATIONE.

Comparatio eſt vel *ſimilium* : vel *diuerſorum* : vel *minorum ad maiora*:vel *maiorum ad minora* collatio. Ea vſi ſunt etiam in *communi loco* augentes per *comparationem* crimina. Aſſumitur tamen etiam in *laude* & *vituperatione* , eiuſdem rationis cauſa. Quoniam tamen doctiſſimi oratorum ea quoque per ſe pro exercitatione ſunt vſi , dicamus etiam de hac. Procedentes igitur per loca *laudationis*,comparamus & *vrbem vrbi*, ex qua ſunt viri:& *genus generi* : & *victum victui* : & *profeſſiones profeſſionibus*:

Digitized by Google

& *geſta geſtis:* & quę *accidunt extrinſecus :* & *diuerſos mortis modos,& quę ſunt conſequuta.* Similiter ſi *Arbores* compares, conferes etiam præſidentia eis Numina, & loca in quibus naſcuntur, & fructus & vtilitatem,& ſimilia. Res quoque ſi compares, dices qui primi eas inuenerint : & eos conferes; prætcrea qualitatem *animi & corporis* . Idem tibi ſit pręceptũ in reliquis. ſic enim vel in omnibus, vel in pleriſque ſimilia oſtendimus , quę comparamus. Eſt autem quando alterutrum proponimus, vituperantes *Comparando.* Eſt etiam quando alterutrum *vituperantes* alterum *laudamus*:vt ſi comparemus *iuſtitiam* & *diuitias.* Fit autem comparatio etiam ad melius:vt ſi laudans Vlyſſem,comparem illum Herculi : minorem ſimilem maiori virtutibus volens oſtendere. Exigit autem huiuſcemodi locus fortem oratorem , & callidum, & celerem;vt agiles poſſit ſæpe facere tranſitiones.

DE ALLOQVVTIONE.

Alloqvvtio, quæ à Grecis ἠθοποιία dicitur, eſt imitatio ſermonis ad mores & ſuppoſitas perſonas accommodata:vt quibus verbis vti potuiſſet Andromache,Hectore mortuo. Conformatio vero,quam Greci προσωποποιίαν nominant, eſt quando alicui Rei contra naturam datur perſona loquendi : vt Cicero *Patriæ & Reipublicæ* in inuectiuis dat verba. Eſt preterea Simvlacri Fictio,quam Greci εἰδωλοποιίαν dicunt,quando mortuis verba dantur;quod facit Cicero pro Cęlio , verba dans Appio Cęco contra Clodium. Fiunt autem Alloqvvtiones & *finitarum perſonarum & infinitarum.* Infinitarvm : vt quibus verbis vti potuiſſet ad ſuos aliquis profecturus à patria. Finitarvm verò ; vt quibus vti potuiſſet verbis Achilles ad Deidamiam profecturus, ad bellum Troianum. Alloqvvtionvm verò quędam ſunt *ſimplices;* quando ſupponitur aliquis ipſe *per ſe loquens.* Quędam *duplices,* quando *ad alios loquitur.* Per Se quidem,vt quibus verbis vti potuiſſet Scipio victor reuertens. Ad Alios verò , quibus verbis vti potuiſſet Scipio, poſt victoriam ad exercitum. Vbique autem eſt ſeruanda proprietas & *perſonarũ* & *temporũ.* Alia ſunt enim

verba

Digitized by Google

verba *iuuenis*,alia *ſenis*: & alia *gaudentis*, alia *dolentis*. Sunt autem quædam ALLOQVVTIONES *paſſionales*, quædam *morales*, quędam *mixtæ*. PASSIONALES ſunt,in quibus *paſſio*, id eſt, *commiſeratio* perpetua inducitur: vt quibus verbis vti potuiſſet Andromache, mortuo viro. MORALES verò, in quibus obtinent mores: vt quibus verbis vti potuiſſet ruſticus,cùm primùm aſpexit nauim. MIXTAE verò vtrumque habent: vt quibus verbis vti potuiſſet Achilles, interfecto Patroclo. Habet enim & paſſionem funeris amici, & morem de bello cogitantis: ſed operatio procedit per tria tempora:& incipit à *pręſentibus*, recurrit ad *pręterita*, & tranſit ad *futura*:habet autem ſtylum ſuppoſitis aptum perſonis.

DE DESCRIPTIONE

DESCRIPTIO eſt oratio colligens & præſentans oculis, quod demonſtrat. Fiunt autem DESCRIPTIONES tam *perſonarum*, quam *rerum*,& *temporum*,& *ſtatus*, & *locorum*, & *multorum aliorum*. PERSONARVM quidem:vt apud Virgilium,

Virginis os,habitumq́; gerens,& virginis arma Spartanæ.

RERVM verò: vt *pedeſtris pręlij*, *vel naualis pugnæ deſcriptio*. TEMPORVM autem, vt *veris*,*ęſtatis*. STATVS: vt,*pacis*, *belli*. LOCORVM: vt,*littoris*,*campi*, *montium*, *vrbium*. Poteſt autẽ & COMMIXTA eſſe DEMONSTRATIO: vt ſi quis deſcribat *pugnam nocturnam*,ac ſimul demonſtret & *rem*, & *tempus*. Conemur igitur res quidem deſcribere ab *ante factis*, & *quæ in ipſis eueniunt*, vel *aguntur*;vel *conſequuntur*.vt ſi belli dicamus deſcriptionem, primum quidem ante bellum debemus dicere *delectus habitos*,*ſumptus paratos*, *timores* qui fuerunt: hinc *congreſſus*, *cædes*, *mortes*, *victorias*, *laudes victorum*: illorum verò qui victi ſunt,*lachrymas*, *ſeruitutem*. Sin verò LOCA, vel TEMPORA, vel PERSONAS deſcribamus, habebimus aliquam & à *Narratione* de qua ſupra docuimus, & à *bono*, vel *vtili*,vel *laudabili* rationem. Virtus autem DESCRIPTIONIS *maxima planities*, & *præſentia* vel *ſignificantia* eſt. Oportet enim ELOQVVTIONEM penè per aures, oculis præſentiam facere ipſius rei, & exæquare dignitati rerum ſtylum ELOQVVTIONIS. Si clara res eſt:ſit & oratio ſimilis. Sin ſummiſſa:huic quoque

Digitized by Google

que aptabitur qualitas verborum. Sciendum autem quòd quidam non poſureunt DESCRIPTIONEM in PRAEEXERCITAMENTIS, quaſi prçoccupatam & in FABVLA, & in NARRATIONE. in illis enim quoque deſcribimus & *loca*, & *fluuios*, & *perſonas*, & *res*: ſed quoniam quidam eloquentiſſimorum eam quoque tradidere inter PRAEEXERCITATIONES, non incongruum eſt eos imitari.

DE POSITIONE.

POSITIO eſt Deliberatio alicuius rei generalis ad nullam perſonam certam pertinens, vel aliquam partem circunſtantiæ: vt ſi tractemus *an nauigandum*; *an ducendum vxorem*; *an philoſophandum*: non addentes cui: ſed ipſam rem *per ſe* & *per accidentia* ei requirentes: vt an illa res ſit facienda, quam facientibus ſolet illud accidere. Quòd ſi FINITAM aſſumamus Perſonam, & ſic deliberemus, non *poſitio* iam, ſed *ſuppoſitio* eſt, quæ magis ad CONTROVERSIAS pertinet. Sunt igitur POSITIONVM aliç *ciuiles*, aliç *priuatæ*. CIVILES quidem, quç communibus, & ad ciuitatem pertinentibus ſubiacent opinionibus: vt an *Rhetorica dandum ſtudium*, & his ſimilia. Non CIVILES verò, vel PRIVATAE, quç ſunt propriç aliquarum diſciplinarum & eas profitentium: vt, *an pilæ formam habeat mundus*, *an multi ſint mundi*, *an ignis ſit ſol*. Hç enim quæſtiones ad Philophos pertinent: nam oratores in alijs ſunt exercitandi. Nominauerunt autem quidam has ACTIVAS, illas INSPECTIVAS, ſiue INTELLECTIVAS. Hç enim poſſunt agere: illarum autem finis eſt *inſpectio*, ſiue *intellectus*. Eſt autem inter LOCVM COMMVNEM & POSITIONEM hoc differentiç, quòd LOCVS COMMVNIS eſt conuictç & manifeſtæ rei exaggeratio: POSITIO, autem dubiæ rei quæſtio. POSITIONVM autem aliæ ſunt *ſimplices*, aliç *ad aliquid comparantur*, & *duplices videntur eſſe*. Si enim dicamus, *an luctatio exercenda*: SIMPLEX POSITIO: Sin autem, *Luctatione exercenda*, *an agricultura* DVPLEX: oportet enim ab altero dehortari in alterum hortantem. Diuiduntur autẽ POSITIONES capitulis, quç finalia nominantur, id eſt, *iuſto*, *vtili*, *poſſibili*, *decenti*: vt, *Iuſtum eſt ducere vxorem*: & Quod *à parentibus accepimus*, *reddere vitæ*. QVOD PRODEST: *multa enim ex nuptijs accidunt ſolatia*. QVOD

Pos-

Digitized by Google

Possibile. *A ſimilibus enim facile poſſimus ducere, quòd non decet more ferarum degere*. Hoc modo confirmes. Refutes autem ex contrarijs, nec non etiam incidentes obiectiones reprobes. In Peroratione verò *hortationibus* vteris, & *communibus* omnium *moribus* Hominum.

DE LEGIS LATIONE.

Legis qvoqve Lationem in Praeexercitationibvs ponunt, quoniam etiam in *Negociali*, & *Latione Legum*, & *Accuſationibus* vtuntur quæſtione. Differentiam autem hanc eſſe dicunt, quod in *Negociali circunſtania* eſt, in *Praexercitatione* non eſt: vt, fert aliquis, *vendendos eſſe honores* ſine tempore, & ſine reliquis circunſtantię partibus. Diuiditur autem *manifeſto, legitimo, iuſto, vtili, poſſibili, decenti*. Manifesto, vt apud Demoſthenem: *Facile eſt id omnibus diſcere & cognoſcere, ſimplicia & manifeſta eſſe iura legũ*. Legitimo, ſi dicamus quòd *contra veteres leges*. Ivsto, quando dicemus *quòd & contra naturam & contra mores*. Vtili, quando dicimus *quòd & nunc & in futurum lædit*. Possibili, quando dicimus *quòd neque poteſt fieri*. Decenti, quando dicimus, *quòd inglorium eſt*.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRISCIANI GRAMMATICI CÆSARIENSIS DE PRÆEXERCITAMENTIS RHETORICÆ.

CONTENTA.

De Fabula.
De Narratione.
De Vsu.
De Sententia.
De Refutatione.
De Communi Loco.
De Laude.
De Comparatione.
De Alloquutione.
De Descriptione.
De Positione.
De Legis Latione.

DE FABULA.

FABULA eſt oratio ficta, veriſimili diſpoſitione imaginem exhibens veritatis. Ideo autem hanc primam tradere pueris ſolent oratores, quia animos eorum adhuc molles, ad meliores facile vias inſtituunt vitæ. Vſi ſunt ea tamen vetuſtiſſimi quoque authores: vt, Heſiodus, Archilochus, Horatius. Heſiodus quidem luſciniæ, Archilochus autem vulpis, Horatius muris. Nominantur autem ab inuentoribus fabularum aliç Æsopiae, aliç Cypriae, aliç Lybycae, aliæ Sybariticae. Omnes autem communiter Æsopiae, quoniam in conuentibus frequenter ſolebat AEſopus fabulis vti. Et pertinet ad vitæ vtilitatem, & fit verſimilis, ſi res quæ ſubiectis accidunt perſonis, aptè reddantur: vt puta de pulchritudine aliquis certat, Pavo hic ſupponatur. Oportet alicui aſtutiam tribuere, Vulpecula eſt ſubijcenda. Imitatores aliquos hominum volumus oſtendere, hìc Simiis eſt locus. Oportet igitur modo breuiter, modo latius eas diſſerere. Commodo autem hoc fiet ſi nunc narratione ſimplici proferantur, nunc etiam ſermo inductis fingatur perſonis: exem-

pli cauſa, *Simiæ conuenerunt, & conſilium habuerunt de vrbe condenda: & quia placuit illis, paratę erant incipere ædificationem: ſed vetus inter eas prohibuit ab incepto, eas docens quòd facile capientur ſi intra muros concludantur:* ſic breuiter dices. Sin velis producere, ſic. *Simiæ conuenerunt, & conſiliabantur de vrbe condenda: quarum vna in medium, veniens concionata eſt, quia oportet ipſas quoque ciuitatem habere. Videtis enim aiebat, quòd ciuitates habendo homines habẽt etiam domos ſingulas ſinguli, & concionem vniuerſi, & in theatrum aſcendentes delectant animos ſpectationibꝰ & auditionibus varijs.* Et ſic proferes orationem immorando, dicens *quòd & plebiſſcitum ſcriptum eſt:* & fingens etiam orationem veteris ſimiæ. Expoſitio autem fabularum vult circuitionibus carere, & iucundior eſſe. Sed oratio qua vtilitas fabulæ retegitur, quam ἐπιμύθιον vocant, quod nos Affabvlationem poſſumus dicere, à quibuſdam prima eſt, ſed à pleriſque rationabilius poſtrema ponitur. Sciendum verò quod etiam oratores inter exempla ſolent Fabvlis vti.

DE NARRATIONE.

Narratio eſt expoſitio rei factæ, vel quaſi factæ. quidam tamen χρείαν, id eſt Vsvm poſuerunt ante Narrationem. Species autem Narraiotnvm quatuor ſunt, *Fabularis, Fictilis, Hiſtorica, Ciuilis.* Fabvlaris ad fabulas ſupradictas pertinens: Fictilis ad tragœdias, ſiue comœdias fictas: Historica ad res geſtas exponendas: Civilis, quæ ab oratoribus in exponendis ſumitur cauſis. Nunc autem de ea quæ ad exercitationem pertinet, dicemus, quam varijs proferre modis ſolemus. Per *rectum indicatiuum*, per *indicatiuum inclinatũ*, per *conuictiuum, diſſolutum, comparatiuum.* Per Rectvm Indicativvm; vt, *Medea OEetæ filia fuit, hęc prodidit aureum vellus*, & ſequentia. Rectvm autem nominatur, quòd per totam vel ampliorem orationem Casvm ſeruat Nominativvm. Inclinata verò Indicativa dicitur, in qua Obliqvis vtimur Casibvs: vt, *Medeam OEetæ filiam dicunt amauiſſe Iaſonem*, & reliqua: qui alios quoque caſus aſſumit. Convictiva verò Figvra eſt, qua arguentes vtimur: vt, *Quid enim non fecit Medea malum? Non amauit quidem Iaſonem? prodidit aureum vellus? interfecit*

cit fratrem? & ſequentia. Dissolutum verò ſic: *Medea OEetæ filia prodidit aureum vellus: Abſyrtum interfecit*, & ſequentia. Comparativum verò eſt hoc: *Medea OEetę filia debens pudicitiam ſeruare, turpitudine amoris prodidit eam: & quam decebat cuſtodem fraternę fieri ſalutis, interfecit fratrem: & quæ debuit tutari aureum vellus, prodidit inſidiatori.* Et Rectum quidem hiſtoriæ conuenit (eſt enim planius) Inclinatum verò magis certaminibus Rhetoricis: Convictivum quoque ad arguendum accommodatius: Dissolutum autem perorationibus, ſiue concluſionibus; eſt enim paſſiuum; id eſt affectus animi commouens.

DE VSV.

Vsus eſt, quem Græci χρείαν vocant, commemoratio alicuius orationis, vel facti vel vtriuſque ſimul, celerem habens demonſtrationem, quæ vtilitatis alicuius cauſa plerunque profertur. Vsuum autem alij ſunt *orationales*, alij *actiui*, alij *mixti*. Orationales ſunt, quibus ineſt oratio ſola: vt, *Plato dicebat Muſas in animis ingenioſorum eſſe.* Activi verò, in quibus *Actus* ineſt ſolus: vt, *Diogenes quum vidiſſet puerum agentem indecenter, pædagogum virga percuſſit.* Mixti ſi addas, *percuſſit dicens: Quare ſic erudiſti?* Intereſt autem inter *Vſum* & *Commemorationes* hoc, quòd *Vſus* breuiter profertur, *Commemorationes* verò, quas Greçi ἀπομνημονεύματα vocant longiores ſunt. A *Sententia* verò differt, quòd *Sententia Indicatione* profertur: *Vſus* verò ſæpe etiam per *Interrogationem*, & *Reſponſionem*: præterea quòd *Vſus* etiam in *Actu* ſolent inueniri: *Sententiæ* verò in verbis tantùm: & quoniam *Vſus* habet omnino perſonam, quæ fecit vel dixit: *Sententia* verò ſine perſona dicitur. Traduntur tamen differentię *Vſuum* plures à veteribus: alij enim ſunt *Indicatiui*, alij *Interrogatiui*. Sed nunc ad inſtans veniamus, hoc eſt adoperationem & ordinationem ad Vsus pertinentiũ capitulorũ. Diſponendũ igitur ſic, primũ vt Laus breuiter dicatur eius, qui dixit, vel fecit: deinde Expositio ipſius Vsus: hinc cauſa: vti, Socrates dicebat *ſtirpem quidem doctrinæ eſſe amaram, fructum verò dulcem.* Laus, *Socrates ſapiens fuit:* & producis pedetentim locum. poſtea ſequitur eloquutio ipſius Vsus. Non oportet tamen ipſum per ſe

pone-

ponere, ſed latius eum interpretari. Deinde à cauſa: *Maximæ enim factorum per laborem perfici ſolent, perfecta verò afferunt iucunditatem.* Deinde vtendum à CONTRARIO: *Nam viliſſimę rerum non egent labore, & finem teterrimum habent, ſtudioſiſſimæ verò res è contrario.* Poſt hæc à COMPARATIONE. *Quomodo enim agricolas oportet laborantes in terra accipere fructus, ſic etiam eloquentes.* Deinde ab EXEMPLO. *Demoſthenes incluſit ſeſe in ædiculis ad legendum, & multo labore: poſt accepit fructus, coronas, & prædicationes.* Deinde ab IVDICIO argumenteris: vt, Heſiodus quidem dixit, *Virtutis viam aſperam Dÿ fecere.* Alius poeta dixit, *Laboribus vendunt Dÿ nobis omnia bona.* Poſt omnia inferes exhortationem, quòd oportet parere illi, qui dixit, aut fecit.

DE SENTENTIA.

SENTENTIA eſt oratio, generalem pronunciationem habens, *hortans* ad aliquam rem, vel *dehortans*, vel *demonſtrans* quale ſit aliquid. DEHORTANS quidem, quomodo in illo Homerico: *Non oportet per totam noctem dormire conſultorem virum.* & in illo Virgiliano

Heu nihil inuitis fas quenquam fidere diuis.

HORTANS verò vt in illo. *Oportet pauperiē fugientem etiā latiſſimum pontum penetrare, & ad ſcopulos applicare præcipites.* DEMONSTRANS verò Qualitatem rei: vt, *Proſpere enim agentes indigni occaſionem accipiunt inſipienter malefaciendi.* Præterea SENTENTIARVM aliæ ſunt *veræ*, aliæ *veriſimiles*, aliæ *ſimplices*, aliæ *coniunctæ*, aliæ *ſuperlatiuæ.*

Vera quidem: vt, *Non poteſt inueniri vita hominis carens moleſtia.* &;

Heu nihil inuitis fas quenquam fidere Diuis.

Veriſimiles autem: vt, *Si quis cum malis conuerſatur libenter, nunquam de hoc bene interrogaui viro, ſciens quoniam talis eſt, quales illi, cum quibus conuerſatur.* Et,

Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem.

Simplices verò: vt, *Poſſunt diuitię & dementes facere & humanos.* Et:

— *Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames?*

Con-

Digitized by Google

Coniuncta: vt, *Non eſt bonum multos eſſe reges, vnus rex ſit.* Et, *Obſequium amicos, veritas odium parit.*

Superlatiua: vt, *Nihil imbecillius homine terra paſcit.* Et;

Fama malum, quo non aliud velocius vllum
Mobilitate viget.

Operatio verò Sententiae conſimilis eſt meditationi Vsvs, de quo ſuperius dictum eſt. Prouenit enim à *laude breui* eius, qui dixit, à *ſimplici Expoſitione* ipſius ſententiæ, à *Cauſa*, à *Contrario*, à *Comparatione*, ab *Exemplo*, ab *Iudicio*, à *Concluſione*. Sit autem Sententia, exempli cauſa: *Non oportet per totam noctem dormire virum multis conſulentem.* Laudabis igitur eum qui dixit *breuiter*, deinde *ſimplici expoſitione* eloqueris Sententiam: vt, *Non decet virum in ſumma poteſtate multis præſidentem ab occaſu ſolis vſque ad ortum opprimi ſomno.* A Cavsa. *Debet enim præſes in cura ſemper eſſe, ſomnus verò curas omnibus aufert.*

A Contrario. *Contrariũ eſt enim, & Rex priuat⁹: & ſomn⁹, & vigilię. Quomodo ergo moleſtum eſt ſi priuatus homo per totam dormiat noctem: ſic intolerabile ſi rex non vigilijs conſulat cuiuſque ſibi parentium ſaluti.* A Comparatione: *Quomodo enim Gubernatores, etſi cæteri dormiant, ſoli pro communi vigilant ſalute, ſic oportet imperatores curare pro ſuis.* Ab Exemplo: *Hector enim noctu vigilans, & curans, ſpeculatorem ad naues Græcorum mittebat Dolonem.* Ab Ivdicio, vt Salluſtius quoque hoc comprobat dicens: *Sed multi mortales dediti ventri, atque ſomno, indocti incultique vitam ſicuti peregrinantes tranſiere.* Conclvsio vero habet exhortationem plerunque: vt, *oportet & nos neceſſarias res ſuſcipientes, nimia cura vigilijſq; eis conſulere.*

DE REFVTATIONE.

Refvtatio eſt Improbatio propoſitę rei, quã Gręci ἀνασκευὴν vocant. Confirmatio verò ex contrario comprobatio. Quę verò planiſſimè ſunt falſa, vel vera, nec refutanda ſunt, nec confirmanda, quales ſunt *fabulę Æſopiæ*, vel *hiſtoriæ indubitabiles.* Oportet enim refutationes & cõfirmationes de illis rebus fieri, quæ ancipitem adhibent opinionem. Refutandum igitur ab *in-*

certo

certo, ab *incredibili*, ab *impoſſibili*, ab *inconſequente*, ab *indecente*, ab *incommodo*. Ab Incerto: vt, *Incertum erat tempus in quo Narciſſum fuiſſe dicunt*. Ab Incredibili, *Incredibile eſt Arionem malis affectum voluiſſe canere*. Ab Impossibili, *Impoſſibile erat Arionem à Delphino ſeruari*. Ab Inconseqvente, quod & contrarium dicitur, vt, *Contrarium erat voluiſſe perdere libertatem eum qui eam ſeruaſſet*. Ab Indecente, *Indecens erat Apollinem cùm ſit Deus, voluiſſe mulieri vim inferre*. Ab Incommodo, cùm dicimus quod neque prodeſt hæc audire. Confirmes verò à contrarijs.

DE LOCO COMMVNI.

Locvs commvnis exaggerationem habet manifeſtæ rei, quaſi ex argumentationibus iam peractis. non enim quærimus in hoc, *an iſte ſacrilegus vel vir fortis* ſit, ſed rei conuictæ & manifeſtæ exaggerationem facimus, cui tamen legibus ſupplicium ſit definitum, vel præmium. Dicitur autem Commvnis Locvs, quia conuenit contra omnem; verbi cauſa, ſacrilegum, vel etiam (vt quibuſdam placet) pro omni viro forti. Oportet autem ſit progredi per *inquiſitionem contrarij*, deinde ponere ipſam rem, poſt comparationem, quam ſequitur ſententia; poſtea *coniecturaliter* præteritam vitam crimineris à præſentibus: dehinc amoueas miſericordiam per capitula, quæ finalia dicuntur; id eſt *vtili, iuſto, legitimo, honeſto*, & ſimilibus, & per *demonſtrationem rei actæ*. Principia enim in *Loco Communi* purè non inuenis, ſed vſque ad formulam quandam ſeruantur. Quod vt exemplo manifeſtum fiat, ſit Locvs Commvnis contra ſacrilegum. Prin cipia igitur dicenda ſunt vſque ad formulam hoc modo: *Omnes quidem oportet maleficos homines in odio eſſe vobis Iudices, maxime verò eos, qui contra deos aliquid audent*. Secun dum quaſi principium *Ergo ſi vultis facere, vt ceteri quoque ſint peſſimi iſti, concedite: ſin hoc minime placet, iſtum ſupplicijs afficite meritis*. Tertium. *Videtur enim reus in periculum duci ſolus, re autem vera vos quoque in diſcrimen extremum venietis. Contemptio enim iuriſiurandi, & fidei religioniſque violatio neſcio an minores debeat ſacrilegio pœnas*. Poſt has igitur formulas principij, antequam in ipſam rem veniamus,

de

contrario eſt dicendum, *quòd leges conſtituerunt prudentiſſimè deos aris placari, templa eis deuouerunt, donarijs ornauerunt, hoſtijs honeſtauerunt, feſtis diebus redeuntibus celebrauerunt.* Et infers etiam approbationem tractando cauſam: quòd *iuſtiſſimè hac leges conſtituerunt. deorum enim placatorum prouidentia cuſtoditur ſalua Reſp. Violatorum verò proditione corrumpitur.* Sic progredere ad propoſitum: *Quę cùm ita ſint iſte quid eſt auſus facere?* Et expones rem, non quaſi docens, ſed quaſi exaggerans: *quod vniuerſæ nocuit ciuitati, & communibus & priuatis rebus: & timendum ne tale ſcelus conſequatur ſterilitas frugum, ne hoſtium ſuperemur armis, & ſimilia.* Poſt hęc ad comparationes venies: *quòd homicidis multo eſt iſte peior: quanta vero ſit differentia, ex læſis conijcere poſſumus. Homicidæ enim contra homines audent, ſacrilegus autem in ipſos ſceleratam exercet audaciam deos, tyrannis iſte ſimillimus, ſed tamen ex illis non omnibus, ſed peſſimis omnium. illorum enim facinus eſt ſęuiſſimum, quòd ſacratas dijs diuitias auferunt.* A maiore verò ad Minus comparationes, per increpationem induces, ne minuere crimen videaris: vt, *Non eſt iniquiſſimum, furem quidem vel iniurioſum affici ſupplicio, ſacrilegum verò abſolui?* Licet autem etiam pręteritam eius uitam à prężenti criminari, *quòd à paruis cœpit, & ad hoc peſſimum facinus progreſſus eſt. Et non ſolum ſacrilegum, ſed etiam furem, atque effractorem, & adulterum habetis.* Excuties etiam ſententiam, per quam venit ad tale peccatum: *quòd nolens ingenuus ingenuè laborare, vel arando cibum acquirere, per ſacrilegia vult diuitias quærere.* Præterea à conſequentibus dices, quòd *per hunc deminuta maieſtas templorum, infamati ſacerdotes, ſegniores ad offerendum ornamenta delubris redditi ciues.* Vtere autem amotione miſericordię. Amouetur autem miſericordia finalibus capitulis, id eſt *iuſto, vtili, poſſibili, decenti, & deſcriptione* ipſius iniurię. vt *Non iſtum mihi attendatis, qui nunc lachrymat ante conſpectum veſtrum, ſed illum contemnentem deos, adeuntem fana, euellentem fores, auferentem donaria ſacrorum.* Et poſt omnia perores, in exhortationem deſinens: *Quid moramini? quid cogitatis de eo, qui iam pridem omnibus videtur eſſe damnatus?*

DE LAVDE.

LAvs eſt expoſitio bonorum, quæ alicui accidunt perſonæ vel *communiter* vel *priuatim*. COMMVNITER: vt, *laus Hominis*, PRIVATIM verò: vt, *laus Socratis*. Laudamus tamen etiam res, vt: *iuſtitiam*: & *muta animalia*: vt, *equum*: nec non etiam *arbores*, & *ſemina*, & *montes*, & *fluuios*, & ſimilia. Sciendum autem quòd & LAVS & VITVPERATIO ſub vno eodemque genere referuntur demonſtratiuo, quòd ex iiſdem locis vtraque proficiſcuntur. Quid autem intereſt inter has & LOCVM COMMVNEM? videntur enim in quibuſdam nimium eſſe coniunctę. Hoc, quòd in loco communi pro viro forti dicentes, eo conſilio dicimus, vt præmium petamus: LAVS autem per ſe teſtimonium virtutis habet. Loca verò LAVDIS vel VITVPERATIONIS hæc ſunt, *Gens*; vt Latinus, Græcus: *Ciuitas*, vt Romanus, Athenienſis: *Genus*, vt Ælamitanus, Alcmæonides. Dices autem ſi quid naſcendo euenit viro vel ex *ſomniis*, vel ex *ſignis*, vel *huiuſcemodi* quibuſdam prænunciationibus. Deinde ſequitur VICTVS: vt in Achille quòd *medullis leonum paſtus eſt*. Hinc EDVCATIO, *quomodo eruditus eſt apud Chironem*. Nec non etiam NATVRA Animi, Corporiſque tractetur, & eorum vtrumque diuiſionem. Dices enim de corpore quidem, *quòd pulcher, quòd magnus, quòd ſcitus, quòd fortis*: de Animo verò, *quòd iuſtus, quòd moderatus, quòd ſapiens, quòd ſtrenuus*. Poſtea laudabis à PROFESSIONIBVS, id eſt quòd *officium profeſſus eſt Philoſophicum*, vel *rhetoricum*, vel *militare*. Omnibus autem eſt exquiſitiſſimum de GESTIS dicere, vt *militarem vitam degens quid in ea geſſit*. Laudabis etiam vel vituperabis EXTRINSECVS, id eſt à *cognatis, amicis, diuitiis, familia, fortunis, & ſimilibus*. Præterea etiam à TEMPORE, *quantum vixit, multum vel parum*. vtrumque enim occaſiones *laudis*, vel *vituperationis* præbet. Ad hæc ex QVALITATE MORTIS, vt pro *patria pugnans*, vel ſi quid mirabile in ipſa morte euenit, vel etiã ab eo, qui eũ interfecit, vt *Achilles ab Apolline interfectus eſt*. Et exquires etiam quæ ſequuta ſunt poſt mortem, *ſi certamina in eius honorem ſunt celebrata*, quomodo Patroclo ab Achille, & Anchiſæ ab AEnea: *Si oraculum aliquod datum eſt de oſſibus eius*, quomodo de Oreſte & Palinuro: *Si filios habuit laudabiles*, quomodo Achilles Pyrrhum. Maximam verò cauſam in huiuſcemodi ora-

Digitized by Google

di orationibus ſuppeditant Comparationes, quas pones in quo loco tēpus admoneat. Cōſimiliter tamē Mvta quoq; Animalia, quomodo conuenit, & à *loco in quo naſcuntur*, laudantur: & à *dijs* in quorum ſunt tutela: vt columba Veneri, equus Neptuno dicitur eſſe conſecratus. Præterea dices *quomodo paſcitur* : *qualem habeat animum: quale corpus: quale opus: aut quid vtilitatis: quale ſpacium temporis vitæ*: Nec non etiam comparatione, & omnibus accidentibus locis vteris. Res autem laudes ab inuentoribus: vt, *Venationem Diana inuenit & Apollo.* Et ab his qui ea vſi ſunt: vt, *Heroes venationibus vtebantur.* Maxima autem facultas in huiuſcemodi rerum laudationibus datur ex Contemplatione eorum, qui eas res affectant, quales ſint tam animis, quàm corporibus: vt venantes *fortes, audaces, acuti, integri corporibus.* Hinc non ignores quomodo etiam Deos debeas laudare. Similiter Arbores à loco in quo gignuntur, Et à Deo in cuius ſunt tutela: vt, *oliua Mineruæ; laurus Apollinis.* Etiam à paſtu, quomodo paſcuntur: Et ſi multa cura egent, id admireris: ſin parua, id quoque laudabis. Dices autem quomodo de corpore, *ſtaturam, pulchritudinem, pullulationem*, quomodo de mali arbore, & *quid vtile habent*, in quo maxime morandum. Comparationes autem non vbique aſſumendę. Quin etiam Vrbivm Lavdes huiuſcemodi locis non difficulter acquires. dices enim & de Genere *quòd indigenę*: & de Victv, *quòd à deis nutriti*; & de Ervditione *quòd à dijs eruditi ſunt.* Tractes verò quomodo de homine, *qualis ſit ſtatura: quibus profeſſionibus eſt vſa: quid geſſerit.*

DE COMPARATIONE.

Comparatio eſt vel *ſimilium* : vel *diuerſorum* : vel *minorum ad maiora*: vel *maiorum ad minora* collatio. Ea vſi ſunt etiam in *communi loco* augentes per *comparationem* crimina. Aſſumitur tamen etiam in *laude* & *vituperatione*, eiuſdem rationis cauſa. Quoniam tamen doctiſſimi oratorum ea quoque per ſe pro exercitatione ſunt vſi, dicamus etiam de hac. Procedentes igitur per loca *laudationis*, comparamus & *vrbem vrbi*, ex qua ſunt viri: & *genus generi* : & *victum victui* : & *profeſſiones profeſſionibus*:

& *geſta geſtis:* & quę *accidunt extrinſecus:* & *diuerſos mortis modos,& quę ſunt conſequuta.* Similiter ſi *Arbores* compares, conferes etiam præſidentia eis Numina, & loca in quibus naſcuntur, & fructus & vtilitatem,& ſimilia. Res quoque ſi compares, dices qui primi eas inuenerint: & eos conferes; præterea qualitatem *animi & corporis*. Idem tibi ſit pręceptũ in reliquis. ſic enim vel in omnibus, vel in pleriſque ſimilia oſtendimus, quę comparamus. Eſt autem quando alterutrum proponimus, vituperantes *Comparando.* Eſt etiam quando alterutrum *vituperantes* alterum *laudamus*: vt ſi comparemus *iuſtitiam* & *diuitias.* Fit autem comparatio etiam ad melius: vt ſi laudans Vlyſſem, comparem illum Herculi: minorem ſimilem maiori virtutibus volens oſtendere. Exigit autem huiuſcemodi locus fortem oratorem, & callidum, & celerem; vt agiles poſſit ſæpe facere tranſitiones.

DE ALLOQVVTIONE.

Alloqvvtio, quæ à Gręcis ἠθοποιία dicitur, eſt imitatio ſermonis ad mores & ſuppoſitas perſonas accommodata: vt quibus verbis vti potuiſſet Andromache, Hectore mortuo. Conformatio vero, quam Gręci προσωποποιίαν nominant, eſt quando alicui Rei contra naturam datur perſona loquendi: vt Cicero *Patriæ & Reipublicæ* in inuectiuis dat verba. Eſt pręterea Simvlacri Fictio, quam Gręci εἰδωλοποιίαν dicunt, quando mortuis verba dantur; quod facit Cicero pro Cęlio, verba dans Appio Cęco contra Clodium. Fiunt autem Alloqvvtiones & *finitarum perſonarum & infinitarum.* Infinitarvm: vt quibus verbis vti potuiſſet ad ſuos aliquis profecturus à patria. Finitarvm verò; vt quibus vti potuiſſet verbis Achilles ad Deidamiam profecturus, ad bellum Troianum. Alloqvvtionvm verò quędam ſunt *ſimplices;* quando ſupponitur aliquis ipſe *per ſe loquens.* Quędam *duplices,* quando *ad alios loquitur.* Per Se quidem, vt quibus verbis vti potuiſſet Scipio victor reuertens. Ad Alios verò, quibus verbis vti potuiſſet Scipio, poſt victoriam ad exercitum. Vbique autem eſt ſeruanda proprietas & *perſonarũ* & *temporũ.* Alia ſunt enim

verba

Digitized by Google

verba *iuuenis*,alia *ſenis*: & alia *gaudentis*, alia *dolentis*. Sunt autem quædam Alloqvvtiones *paſſionales*, quædam *morales*, quędam *mixtæ*. Passionales ſunt,in quibus *paſſio*, id eſt, *commiſeratio* perpetua inducitur: vt quibus verbis vti potuiſſet Andromache, mortuo viro. Morales verò, in quibus obtinent mores: vt quibus verbis vti potuiſſet ruſticus,cùm primùm aſpexit nauim. Mixtae verò vtrumque habent: vt quibus verbis vti potuiſſet Achilles, interfecto Patroclo. Habet enim & paſſionem funeris amici, & morem de bello cogitantis: ſed operatio procedit per tria tempora:& incipit à *pręſentibus*, recurrit ad *pręterita*, & tranſit ad *futura*:habet autem ſtylum ſuppoſitis aptum perſonis.

DE DESCRIPTIONE

Descriptio eſt oratio colligens & præſentans oculis, quod demonſtrat. Fiunt autem Descriptiones tam *perſonarum*, quam *rerum*,& *temporum*,& *ſtatus*, & *locorum*, & *multorum aliorum*. Personarvm quidem:vt apud Virgilium,

Virginis os,habitumq́ gerens,& virginis arma

Spartanæ. Rervm verò: vt *pedeſtris prælij*, *vel naualis pugnæ deſcriptio*. Temporvm autem, vt *veris*,*ęſtatis*. Statvs: vt,*pacis*, *belli*. Locorvm: vt,*littoris*,*campi*, *montium*, *vrbium*. Poteſt autē & Commixta eſſe Demonstratio: vt ſi quis deſcribat *pugnam nocturnam*,ac ſimul demonſtret & *rem*, & *tempus*. Conemur igitur res quidem deſcribere ab *ante factis*, & *quæ in ipſis eueniunt*, vel *aguntur*;vel *conſequuntur*.vt ſi belli dicamus deſcriptionem, primum quidem ante bellum debemus dicere *delectus habitos*,*ſumptus paratos*, *timores* qui fuerunt: hinc *congreſſus*, *cædes*, *mortes*, *victorias*, *laudes victorum*: illorum verò qui victi ſunt,*lachrymas*, *ſeruitutem*. Sin verò Loca, vel Tempora, vel Personas deſcribamus, habebimus aliquam & à *Narratione* de qua ſupra docuimus, & à *bono*, vel *vtili*,vel *laudabili* rationem. Virtus autem Descriptionis *maxima planities*, & *præſentia* vel *ſignificantia* eſt. Oportet enim Eloqvvtionem penè per aures, oculis præſentiam facere ipſius rei, & exæquare dignitati rerum ſtylum Eloqvvtionis. Si clara res eſt:ſit & oratio ſimilis. Sin ſummiſſa:huic quo-

que

Digitized by Google

que aptabitur qualitas verborum. Sciendum autem quòd quidam non poſureunt DESCRIPTIONEM in PRAEEXERCITAMENTIS, quaſi prꝺoccupatam & in FABVLA, & in NARRATIONE. in illis enim quoque deſcribimus & *loca*, & *fluuios*, & *perſonas*, & *res*: ſed quoniam quidam eloquentiſſimorum eam quoque tradidere inter PRAEEXERCITATIONES, non incongruum eſt eos imitari.

DE POSITIONE.

POSITIO eſt Deliberatio alicuius rei generalis ad nullam perſonam certam pertinens, vel aliquam partem circunſtantiæ: vt ſi tractemus *an nauigandum*; *an ducendum vxorem*; *an philoſophandum*: non addentes cui: ſed ipſam rem *per ſe* & *per accidentia* ei requirentes: vt an illa res ſit facienda, quam facientibus ſolet illud accidere. Quòd ſi FINITAM aſſumamus Perſonam, & ſic deliberemus, non *poſitio* iam, ſed *ſuppoſitio* eſt, quæ magis ad CONTROVERSIAS pertinet. Sunt igitur POSITIONVM aliꝺ *ciuiles*, aliꝺ *priuatæ*. CIVILES quidem, quꝺ communibus, & ad ciuitatem pertinentibus ſubiacent opinionibus: vt an *Rhetoricæ dandum ſtudium*, & his ſimilia. Non CIVILES verò, vel PRIVATAE, quꝺ ſunt propriꝺ aliquarum diſciplinarum & eas profitentium: vt, *an pilæ formam habeat mundus, an multi ſint mundi, an ignis ſit ſol.* Hꝺ enim quæſtiones ad Philophos pertinent: nam oratores in alijs ſunt exercitandi. Nominauerunt autem quidam has ACTIVAS, illas INSPECTIVAS, ſiue INTELLECTIVAS. Hꝺ enim poſſunt agere: illarum autem finis eſt *inſpectio*, ſiue *intellectus*. Eſt autem inter LOCVM COMMVNEM & POSITIONEM hoc differentiꝺ, quòd LOCVS COMMVNIS eſt conuictꝺ & manifeſtæ rei exaggeratio: POSITIO, autem dubiæ rei quæſtio. POSITIONVM autem aliæ ſunt *ſimplices*, aliꝺ *ad aliquid comparantur, & duplices videntur eſſe*. Si enim dicamus, *an luctatio exercenda*: SIMPLEX POSITIO: Sin autem, *Luctatio ne exercenda, an agricultura* DVPLEX: oportet enim ab altero dehortari in alterum hortantem. Diuiduntur autē POSITIONES capitulis, quꝺ finalia nominantur, id eſt, *iuſto, vtili, poſſibili, decenti*: vt, *Iuſtum eſt ducere vxorem*: & Quod *à parentibus accepimus, reddere vitæ*. QVOD PRODEST: *multa enim ex nuptijs accidunt ſolatia*. QVOD

Poſ-

Digitized by Google